W.

# GERMANI AVDEBERTI AVRELII VENETIAE

AD

SERENISS. AC. SAPIENTISS. VENETIARVM. PRINCIPEM

NICOLAVM. DEPONTE

ET

ILLVSTRISS. ATQ. PRVDENTISS. SENATORES. PATRICIOSQ. VENETOS



VENETIIS. CIↃIↃXXCIII

Apud Aldum.

# INCERTI

TERRARVM domina, excidijs miſeranda, uocari
Deſine, ſitq. tibi, Roma, fuiſſe ſatis.
Terrarum domina haec Venetum pulcherrima tellus,
Cui datur indomito ponere frena Mari.
Aurea quae Hadriacis placidũ caput extulit vndis,
Vt uocet aetheria rurſus ab arce Deos.
Hanc tuto poſuere ſinu ſibi numina Ponti,
Moeniaq. & liquidas huic facit unda uias.
Heroum hinc noua progenies, quae conſcia vecti
Iura dabit ſaeclis innumerabilibus.
Sic ait: atque vrbem Phoebus miratur ab alto,
Mirariq. decus cogitur ipſa ſuum.
Quodq. homines, ſuperiq. magis mirantur, in Orbe
Cum maneant vrbes, Orbis in vrbe manet.

A D

# SERENISS.

atque

# Sapientiſs. Venetiarum

Principem

# NICOLAVM . DEPONTE

FLVCTIBVS *in tumidis deprenſus nauta gemellos*
*Tyndaridas votis omnibus orat opem.*
*Sic fragili Venetos auſus tentare carina*
*Portus, Hadriaci per uada caeca Maris,*
*Quos in uota uocem? mihi tu cum Caſtore Pollux,*
*Tu mihi Dux Helice, tu Cynoſura mihi.*

*Vnum te duplici ſpecto pro ſidere ſidus,*
*Nil metuens haedos, oleniumq. pecus.*
*Nil triſtes Hyadas, nil ſaeuum Orionis enſem,*
*Ceteraq. irati ſigna timenda ſalis.*
*At ſine te in breuia impinget, Syrtesq. uadoſas,*
*Et bibet aequoreas naufraga puppis aquas.*
*Lumine ſalua tuo rapidis enabit ab vndis,*
*Et tanget portus te Duce tuta ſuos.*
*Te Duce non fallax ſtrati pellatia ponti,*
*Alcyonum placidos fersque, refersq. dies.*
*Cui toties legere, & uento remeare ſecundo*
*Contigit Illyrici brachia longa ſinus.*
*Non iam Scylla uorax, non iam metuenda Charybdis,*
*Non iam, crebra licet, noxia Syrtis erit.*
*En poſuere, ſimul percuſſo foedere, uenti:*
*En cecidit rabidi fluctus, & ira maris.*
*Ergo ades o inuicta meae tutela ſalutis,*
*Ergo ades, & tutum dirige lintris iter.*
*Te Duce ſoſpes ero, ſtabit me ſoſpite, teſtis*
*Auxilij iſta tuo fixa tabella tholo:*

QVI. DICAT. HANC. CAECIS. VELVTI
LEANDER. IN VNDIS
OCCIDERAT. NISI. LVX. DIA
TVLISSET. OPEM

# AD ILLVSTRISS. atque Prudentiſs. Senatores, & Patricios Venetos.

PArcite, *Marcicolae, genus alto a ſanguine ductum,*
*Parcite, ſi veſtros parce celebramus honores,*
*Si decus incompto decoramus carmine: tantas*
*Si conamur opes inopi ditare Camoena,*
*Si minimo immenſum concludere vaſe profundum:*

*Quandoquidem preſſi ſub iniquo pondere, & ingens*
*Ingreſſi laudum pelagus, neque carbaſa ventis*
*Plena damus, paſſas veli neque tendimus alas:*
*Nos temere infido metuentes credere ponto:*
*Ne grauis ad ſcopulos rapidae ferat ira procellae,*
*Ne ue fluentiſoni ferus obruat impetus alti:*
*Sed ſolum tuti tranquillam litoris oram*
*Audemus legere exſili fluitante phaſelo.*
*Qualemcumque tamen placido ſuccedere portu*
*O ſinite incolumem, inq. ſinus admittite veſtros:*
*Quasq. vehit merces laetanti ſumite vultu:*
*Ex animo ſacrantur enim. Quod ſi mage Nereo*
*Conſecrare iuuat: vicinum mergere in aequor*
*(Vtile naufragium maculas ſemel eluet omnes)*
*Ne dubitate: mali leuis eſt iactura libelli.*

# ΕΙΣ. ΤΗΝ
## τῶν Ἐνετῶν
## πόλιν.

Ἡμετέρας περὶ σοῦ σελίδας καὶ ἀθέσφατον εἶδος
Σὸν κλέος ὦ Ἐνετῶν κυδιάνειρα πόλις.
Πάντα πρόσωπ᾽ Ἐρυθραίω ὅλως ἐρυθαίνομαι αἰδοῖ,
Ὅττι λίαν παρ᾽ ἐμοῦ κόσμον ἄκοσμον ἔχεις.
Θαυμάζειν σιγῇ κῦδος τόσον ἦεν ἄμεινον:
Ἀλλ᾽ ἀέκοντα λαλεῖν σοῦ με βιάζε πόθος.

# DE VENETIIS GERMANI· AVDEBERTI

MIRAE. VENVSTATIS
ET. ELEGANTIAE
POEMATE

LVDOVICVS: ALEALMVS
Apud Aurelios Praeſes,
ac Subpraeſectus.

MIRANDAM *Venetum praeſens niſi*
*uideris vrbem,*
*Ipſi admirari poſſe negant Veneti.*
*Non uidi, & miror: ſint ut miracula mundi*
*Cuncta, uel hoc uno iam mihi mira minus.*
*Ne tamen hic erres, uidi, non ſcilicet illam,*
*Hadria caeruleo quam ſouet in gremio,*

*Sed*

Sed, meus Amphion, dulci quam carmine, nuper
Ad Ligerim cum ipſo tranſtulit Hadriaco.
Hanc ergo dum miror, in hac admiror & illam,
Et mirans dubito, mira ſit utra magis.
Neptuni illa labor, labor eſt & Apollinis iſta,
Pieridum haec amor eſt, illaq. Nereidum.
Illius ut miror delubra, palatia, pontes,
Et natura parens quem ſtupet ipſa ſitum:
Sic huius miror Veneres, mirorq. lepores,
Et Charites, mecum quas ſtupet ipſa Charis.
Sunt illic pictae tabulae, caelataq. ſigna,
Queis uox ſola deeſt: ſed tamen illa deeſt.
Hic ſua uox ſignis, uox eſt ſua iuncta tabellis,
Reddant ut uiuos utraq. uiua ſonos.
Illa ebore, atq. hebeno, diſtincta emblemata, paſſim
Exhibet, humanas quid niſi diuitias?
Ambroſiae haec ſuccis, puroq. undantia paſſim
Nectare, diuinas carmine fundit opes.
Denique cuncta, quibus fertur mirabilis illa,
Haec, & plura illis, & meliora refert.
Cur ergo illa magis vulgo miranda uidetur?
Mirari ut quiuis deſinat, haec ratio eſt.
Corporis illam oculis vulgus miratur, at iſtam
Miratur, ſi quis lumina mentis habet.

# EIVSDEM
## AD·AVRELIAM

CARMINE *quod laudes externae malluit Vrbis,*
*Quam memorare tuas iſte Poeta tuus:*
*Ne uelut ingrato ſuccenſe, Aurelia, nato,*
*Neue ut praelatis inuideas Venetis.*
*Maior quippe tua eſt, tantum genuiſse Poetam,*
*Quam Venetum a tanto gloria Vate cani.*

# NICOLAVS · HATTAEVS
## A . SECRETIS . REGIS
## IN
## DOCTISS. AC. ORNATISS. VIRI
## GERMANI · AVDEBERTI
## AVRELII
# VENETIAS

SCILICET *illud erat Venetis fatale, ſupremae*
*Vt generis decus a Gallis, ſic ducere famae.*
*Priſca fides Gallum firmat genus: Altera reſtant*
*Exſpectata ſuis. En nunc data tempora fatis.*
*En Gallus, Venetos aſtris qui tollat honores,*
*Emerſit tandem Vates: Quem Gallia Phoebo,*
*Quem Venetus Gallo, debet ſic omnia Gallo;*
*Audiat ut Veneti Gallus bis nominis auctor.*

AD
CLARISSIMVM
VIRVM
GERM. AVDEBERTVM
CONSILIARIVM. REGIVM,
ac Vectigalium, Indictionumque
apud Aurelios
PRIMARIVM. IVDICEM
PETRVS. LAMONIVS
in ſuprema Pariſienſi Curia
Aduocatus.

*VT gemma obſcuro liuentis carcere plumbi*
*Clauſa latet, ſqualetq. ſuo ſpoliata nitore:*
*Vtq. eadem clare ridenti fulget in auro*
*Laetior, & purum ſpargit ſpectantibus ignem:*

*Sic*

*Sic Venetum nulli digne cantata priorum*
*Moeniaque, & mores lectis dum uerſibus ornas,*
*Hadriaciq. ſinus nobis miracula pandis,*
*Miramur magis, & nunc primum agnoſcimus illud*
*Ornamentum Orbis. Certe digniſſima tanto*
*Vrbs Vate, & tanta Vates digniſſimus vrbe.*
*Addere cui, aut mutare uolens, uel nobile ſcalprum*
*Lyſippi, aut Coi picturam carpat Apellis.*

## ΦΛΩΡ. Ο. ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ

εἰς τὰς τοῦ

## ΓΕΡΜ. ΑΥΔΗΒΕΡΤΟΥ

## ΕΝΕΤΙΑΣ

ΟΥ μὰ λόγων ἱδρῶτας Αριϛάρχοιο χατίζει
Βίβλος ἁλιζώνους φῶτας ἀεισαμβύη.
Ης ἀρχὴ γὰρ ἄριϛον, ἄριϛον ϗ τέλος, αὕτη
Εϛὶν Αρίϛαρχος, ἐϛὶν Αριϛοτέλης.

# NICOLAI AVDEBERTI AVRELII

## in Parentis VENETIAS Carmen.

VRBIS opes *Venetae caelo qui laudibus aequas,*
*Claraq. facta Ducum, ſquamigerumq. genus,*
*Nauale, humani, & diuini fulminis iras,*
*Iura, magiſtratus, munia lecta globis:*
*Materiam haud poteras mage dignam ſumere, ſed quae*
*Non alio poterat dignius ore cani.*

# P. ANGELII. BARGAEI
## IN. GERMANI. AVDEBERTI
## CLARISS. VIRI
# VENETIAS

QVANTVM *Amphioniae mirata eſt*
*Graecia, quantum*
*Mirata Orpheae eſt fila ſono-*
*ra lyrae;*
*Dum pecudes haec, atque feras,*
*quercusq. uirentes;*
*Illa, auulſa ſolo ſaxa ſecuta refert;*
*Tantum hunc nos digitis citharā dum pulſat eburnā,*
*Et noua doctiloqua carmina uoce canit,*
*Miramur: quando ad cultae plectra aurea Muſae,*
*Ad doctos, docto quos dat ab ore modos,*
*Vndique fluctiuagos piſces properare uidemus,*
*Atque ire e ſummis robora caeſa iugis;*
*Perq. ipſas ferri ſcopulos, & ſaxa procellas,*
*In medioq. vrbem ſtare repente mari.*
*O vatem ingentem, quem uerum Amphiona, uerum*
*Orphea nulla umquam ſaecla fuiſſe negent.*

# VENETIARVM
## LIBER · PRIMVS

MARCICOLAE *gentis primordia clara, ſitumq.*
*Vrbis, & acta Ducum canimus, turbamq. natantem:*
*Armorum Nauale potens, tormentaq. belli*
*Igniuoma, & uires, & cauſſas pulueris atri,*
*Aetherei tonitrus rationem, euenta, ruinas;*
*Sacra, Magiſtratus, urnas, comitia, mores;*
*Electosq. Duces, electaq. munia ſorte.*
*Diua, mone: ſunt coepta tuis haec carmina iuſſis.*
*Tempus erat, quo blanda quies ſe mentibus aegris*
*Inſinuat, grauiumq. adfert obliuia rerum:*
*Sol alterna uagae linquit dum regna ſorori,*

*Luſtret ut Antipodas uerſo temone ſupinus.*
*Ecce iuuentutis ſubierunt carmina mentem*
*Imbelles, ut quondam, elegos, teretesq. phaleucos*
*Verſabam, dulci perfuſus membra ſopore:*
*Taliaq. in ſomnis meditabar ludicra mecum:*
*Cum ſubito ante oculos praeſens eſt uiſa uideri*
*Virgo potens Sophiae, Dea pacis, & arbitra belli,*
*Quae me compellans uerbis ita fatur amicis:*
*Quid iuuat agreſti calamo triuiſſe labellum,*
*Vt frondoſa tuam reſonarent Phyllida tempe?*
*Quid molles elegi, triſtis quid Naenia, durus*
*Cũ neq. Amor, neq. Mors lacrymas, aut carmina curẽt?*
*Quid uarium arguto tinxiſſe Epigramma lepore,*
*Quid ſparſiſſe ſales, & acutae ſpicula caudae?*
*Tot tibi ſunt uana diſperdita tempora cura:*
*Sat luſu indultum: ſuccedant ſeria nugis.*
*Mutandi mores, mutanda inſania tandem.*
*Laſciuiſſe iocis decuit ſi quando iuuentam,*
*Nunc maiora decent: canae grauiora ſenectae*
*Conueniunt: acti reparandus temporis error.*
*Argumenta meas laudes praeclara canenti*
*Non deerunt, habeant ſolidae quae praemia famae.*
*Ingenuae (humanum quotquot genus excolit) artes*
*Per populos diſperſa meae ſunt munera dextrae.*

*Quas*

*Quas modo barbaries foede conculcat, ut ulla*
*Vix maneat priſci ſplendoris imago ſuperſtes.*
*In fucos conuerſae omnes, nugasque, dolosque;*
*Opprobrium lugent inſtauratoris egentes.*
*Atque utinam ſurgat deſpecti aſſertor honoris?*
*Nec vates uni Paphiae ſua carmina ſacrent?*
*Innumerae paſſim gentes me praeſide florent;*
*Regnaque, & auſpicijs poſitae felicibus urbes.*
*Tu de tot, tantisq. aliquid te ſelige dignum:*
*Pone quod inceptum eſt, & primos linque labores,*
*Cura mei ſi qua eſt, ſi quid tibi Palladis umquam*
*Dulce fuit, frondisq. placent ſi munera noſtrae:*
*Aggredere o, nullis celebratam uatibus urbem,*
*Non illam Actaeo quae quondam in litore, longum*
*Floruit arte mea, Graij columenque, caputq.*
*Imperij, & noſtro clarum de nomine nomen*
*Nacta: meae ſedes, mea prima, & ſola uoluptas.*
*Quae Phoebi, & noſtra decorata eſt fronde; ſed aeui*
*Communes perpeſſa uices, collapſa ſupremos*
*Corruit in cineres diſcordi perdita motu.*
*Quod ſi iam dudum exciſas contemnis Athenas,*
*Aude aliquid, cultisq. nouam cane uerſibus urbem,*
*Quae nunc Hadriacis regnat florentior undis.*
*Et, niſi diuerſum nomenque, ſitusq. uetarent,*

*Stare putarentur rediuiuae Cecropis Arces.*
*Sic claris fecunda uiris, ſic feta triumphis,*
*Sic terra pelagoq. potens: exercet utrasque*
*Praeſidio noſtri poſitas ſub numinis artes.*
*Haud procul Euganeis a collibus, haud procul amne*
*Diſſita Medoaco, Phrygijsq. Antenoris urbe,*
*Hic nobis propriae ſedes, hic Attica regna.*
*Hic iucunda mihi dilectae obliuia terrae.*
*Surge age, ſacrorum cuſtos, & alumne meorum,*
*Fare age, quae multis ſola uix cognita fama,*
*Attonitis hauſiſti oculis, quo tempore primum*
*Te noſtri generoſus amor ſub flore iuuentae,*
*Traxit ad Auſonias ſuperatis Alpibus urbes,*
*Cum melior uelles ad patria tecta reuerti,*
*Turpe ratus manſiſſe diu, uacuumq. rediſſe.*
*Nil habet urbs uulgare, illi magna omnia: ſummo*
*Materies aequanda Polo, & ſublimibus aſtris.*
*Ardua res, (fateor) cuius ſub mole fatiſcat*
*Forſitan ipſa etiam diuini muſa Poetae:*
*Verum indefeſſo ſunt peruia cuncta labori.*
*Fortiter audendum eſt, da turgida uela per aequor.*
*Nec ſemper timidus nimium nimiumq. procellae*
*Prona petens maria aequatam lege litoris oram.*
*Ipſa tuis adero praeſens ad ſingula coeptis*

(Ne

*(Ne dubita) optatos donec tua pinus ab alto*
*Incolumis noſtro contingat numine portus.*
*Talibus haec contra ſubiecimus: O Dea, longe,*
*Longe humeris grauiora iubes imponere noſtris:*
*Ecquis enim tantum de ſe ſibi credat, vt illam,*
*Tantae molis opus, verbis aequauerit vrbem?*
*Non ego, ſi centum mihi linguis ora ſonarent:*
*At iuſſiſſe tuum; tibi nos parere neceſſe eſt:*
*Tu modo promiſſis maneas, & iuſſa ſecundes.*
*Annuit, ac laeto ſubridens leniter ore*
*Haec rata vota mihi ſanxit Tritonia Pallas.*
*Protinus excutior ſomno, ſtratisq. relictis,*
*Non iam quos nuper, ſed Diuae munere plenos*
*Senſi animos, ſenſi concuſſo in corde calorem:*
*Dura Deae mecum tacitus mandata reuoluo;*
*Ac promiſſa mihi dubiam firmantia mentem.*
*Ex illo (nec uana fides) fiducia creuit,*
*Omenq. accipiens, proram de litore ſoluo*
*Ilicet, atque ingens auſus tentare periclum*
*Paſſa procelloſis committo lintea uentis.*
*Vos, ſacri uates, genuit quos Itala telus,*
*Sancta Camoenarum myſteria rite colentes,*
*Hos hederae tenues humili de ſtirpe corymbos*
*Auſonias inter concedite ſerpere laurus:*

*Dum mea per ſuperum fragilis fluctuat alnus,*
*Eſte boni: aut, uobis ſi mutua gratia cordi eſt,*
*Gallica Regna tubis in caelum tollite ueſtris,*
*Tollite, & humanas ſuperent praeconia laudes.*
*Eia agite: ampla ſatis ſeges hic, & copia rerum.*
*Sed, quid ego haec? liceat benefacta agnoſcere ſaltē*
*Parua rependenti pro magnis munera donis.*
*Nam dignas meritis referent quae carmina grates?*
*Cum prior* AEMILIVS, *dudumq.* ARIOSTVS *honoro*
*Fortia Celtarum celebrarint facta labore.*
BARGAEVSQ. *pio Syrios canat ore triumphos*
*Magnanimum Heroum, quos Gallia protulit ingens,*
*Gallia magnorum genitrix fecunda uirorum,*
BARGAEVS *decus Italiae, non vltima vatum*
*Gloria: quem ipſa ſuis cupiat ueneranda vetuſtas*
*Inſeruiſſe choris: ſed eum ſua uindicat aetas:*
*Quo non inuideant priſcis noua ſaecla poetis.*
*Eminus Hadriacis Venetam de fluctibus urbem*
*Intuitus, noua quae (dixi) ſpectacula ſurgunt:*
*Protinus apparet medijs (mirabile uiſu)*
*Aeſtibus emergens tamquam Latonia Delos.*
*Vix oculis credo ipſe meis; uiſo, atque reuiſo:*
*Demiror poſitumq. loci, terramq. natantem,*
*Inq. ſalo ſuperare ſolum, turreſq. ſuperbas.*

*Moenia*

Moenia nulla urbẽ cingunt Lacedaemonis inſtar,
Nullus ſuſpenſo portas ſignauit aratro,
Nullus lata cauis ſanxit pomeria ſulcis;
Sed natura ſitum muro potiore tuetur,
Aequoris effuſi late ſtagnantibus undis.
Hinc breuia, & Syrtes, uia nauibus inuia celſis:
Quo uada caeca uetant hoſtes appellere claſſem.
Non equiti, peditiue patet: quippe altior unda eſt;
Non adeo intercluſa tamen, quin mercibus arcto,
Implicitoq. aditu uenientibus explicet ulnas,
Si modo, qui nouit, tutum monſtrauerit alueum:
Nam uarijs refluo ſemper mutatur ab aeſtu,
Nec tantum maris amplexu confiſa, lociq.
Praeſidio longas domitrix inſigne per oras
Protulit imperium; quantum quia munere Diuum
Legibus aeternis concors Reſpublica uincta eſt.
Et Roma oſtentet latos aequantia fundos
Addita Romuleis olim pomeria muris?
Niliaca aut Thebe centum, quibus inclyta, portas,
Diri cedat opus Buſiridis, altaq. cedant
Moenia, Sigaeo poſuit quae litore Phoebi,
Neptuniq. manus, ueteris munimina Troiae:
Quaeq. tibi fidibus coiere attracta canoris
Amphion rigidas animans teſtudine cautes.

*Veſtra breui in ventos diffuſa eſt gloria, nec iam*
*Tenuia tantorum ſuperant monumenta laborum.*
*At neque Gothorũ rabies, neque Vandalus atrox,*
*Hunnorum nec dira manus, ſitiensq. cruoris*
*Mars umquam Venetas bello deiecerit arces;*
*Quae bis ſexcentas numerant ab origine meſſes.*
*O maneant noſtris aeterna in ſaecula uotis.*
*Fundatae auſpicijs Diuum, & melioribus aſtris;*
*Vt ſanctum fierent profugae uirtutis Aſylum,*
*Ac ſtatio ſacrata penatibus, & patrijs Dijs.*
*At, cum vrbes reliquae ſtabili tellure locentur,*
*Cur tamen haec medio conſtructa eſt unica ponto?*
*Dic age, Calliope, quiſnam fuit ille Deorum,*
*(Quippe opus hoc hominũ nõ eſt) qui prima per aeſtus*
*Hadriacos Venetae poſuit fundamina genti?*
*Tu meminiſſe potes: quid enim longaeua uetuſtas*
*Obſtiterit: uel quae diuam te ſaecula fallant?*
*Moenia Dardaniae Diuum ſudata lacertis*
*(Reſpondit) manſere diu inconcuſſa, prius quam*
*Feta uiris ſaeuos fudiſſet machina partus:*
*Quae tamen Argolicis tandem cecidere ſub armis,*
*Et uerſa in tenues conſedit Troia fauillas,*
*Directaq. incuruo ſulcantur Pergama ferro.*
*Parte alia Pallas priſca in Pandionis Acta*

*Neptuno*

*Neptuno conſorte ſacratas condidit arces.*
*Auguſtoq. diu tutata eſt numine praeſes,*
*Illuſtres ut equo, ſic munere pacis oliua.*
*Ipſa etiam coniux Iouis, Afro in litore, primum*
*Magnae vrbis paruas fugitiuam ponere ſedes*
*Phoeniſſam uoluit: Reges latuere propinquos*
*Venturi iacta imperij fundamina: fouit*
*Praeſcia fatorum Byrſa, minimoq. redemptas*
*Naſcentis Iuno euexit Carthaginis arces*
*Italiam contra, & Tiberini fluminis undas.*
*Quae, ditione potens, ſtudijsq. aſperrima belli,*
*Ac uix ſe capiens, Magnae fuit aemula Romae?*
*Sed, dum ferre parem renuit, perpeſſa priorem eſt,*
*Ter conata iugo ſubducere colla Latino,*
*Ter reuoluta ſolo, atque extrema fracta ruina eſt.*
*Quin Deus armipotens, bellorumq. arbiter idem*
*Mars, ſeptemgeminos ad Tuſcum Tibridis amnem*
*Concluſit montes, & muro cinxit, & urbem*
*Eſſe dedit, toti quae frena imponeret orbi.*
*Sed mundi domitrix, Gradiuo auctore ſuperba,*
*Poſt uarias clades, uix ulla parte ſuperſtat.*
*Namque, ubi tot pontes, ubi nunc tot ſtrata uiarũ,*
*Et tot aquaeductus, & tot regalia tecta,*
*Totq. operum moles, & ſaxa minantia caelo?*

*Ecce*

*Ecce triumphales Arcus, ecce Amphitheatra,*
*Circi, Pyramides, Statuæ, enormesq. Coloſſi,*
*Et Thermae, & Nymphaea, & tot miracula rerum*
*Informi foedata ſitu: modo rudera pendent,*
*Haud dubie ingentes quondam teſtantia faſtus.*
*Haec, qui condiderat, belli Deus excidit idem.*
*Vſque adeo eſt conſtans dubiae inconſtantia ſortis.*
*Et queritur mortale genus corrupta reſolui*
*Corpora, cum tandem pereant tot regna, tot urbes?*
*Hac tibi nota tenus: nunc Diuum arcana recludam.*
*Caelicolae quondam, miſerati triſtia late*
*Terrarum excidia, & deletas funditus urbes,*
*Conueniunt ira accenſi; miſtisq. querellis,*
*Auxilium Iouis implorant, ac talia fantur:*
*Hoc ſedet, hoc fixũ eſt, o Rex hominumq. Deũq.*
*Cedat ut humanae diuina potentia dextrae?*
*Hic honor, hoc noſtro decus adſcribetur Olympo,*
*Caeleſtes hominum manibus cecidiſſe labores?*
*Troia ubi nunc? nullas innuptae Palladis arces*
*Eſſe uides? periere etiam noſtra aurea templa.*
*Nunc, ubi Carthago, quam ſola ſilentia laudent?*
*Ipſa etiam uictrix Carthaginis inclyta Roma*
*Adſpice nunc qualis, ueteri quam diſtet ab illa,*
*Quae Latijs totum ſubiecit legibus orbem.*

*Siccine*

*Siccine nunc colimur? ſic nos in ſceptra reponis?*
*Ergo ingrati homines altaria noſtra reuellent*
*Impune; & ſtratis euertent opida muris,*
*Diuina fabricata manu; nimbosq. ruentes,*
*Fulmina, nec poſthac metuent tua Iuppiter arma?*
*Sic modo languenti uanam quatis Aegida dextra*
*Viribus humanis uerti monumenta Deorum.*
*Sic pateris: ſolio extrudi patiaris ab alto,*
*Inſtituiq. ſuas ſuperum uictoribus aras.*
*Ecce nouant in te tumidi ſua bella Gigantes,*
*Ecce iterum montes imponunt montibus altos,*
*Iam caelum Titanes habent, iamq. aſtra capeſſunt,*
*Mox etiam domitis reſcindent aethera terris.*
*Et quiſquam ſuperum diuinos ſperet honores*
*Praeterea? ſacrosq. ſuis altaribus ignes?*
*Quod ſi nulla mouet noſtri te gratia, ſaltem*
*Cura tui moueat, ſpretiq. iniuria ſceptri.*
*Da, pater, auxilium, & uaſtas ſarcire ruinas,*
*Da manſuram urbem, daq. altera Pergama Troiae,*
*Quae tamen Iliacis non ſint obnoxia fatis.*
*Adſpice praeterea, quae deinde pericla ſequantur.*
*Tum pater omnipotens, tam iuſta percitus ira,*
*Sermonem abrumpit medium; nec plura querellis*
*Suſtinet his addi: poenaeq. in imagine totus,*

*Talia*

*Talia flammatus ſuccenſus corde profatur:*
*Non ea nunc primum ſuperi me cura remordet.*
*Tempus erit, quo flammigerum affectaſſe Gigantes*
*Paeniteat caelum: detruſaq. fulmine noſtro*
*Coniurata cohors nigri ſub Tartara Ditis*
*Sentiet aeternum quid tela Typhoea poſſint:*
*Per caput hoc iuro, Stygiae per flumina lymphae,*
*Conſilij praeuiſa aderunt mox tempora noſtri,*
*Resq. fidem faciet ſucceſſu laeta ſecundo,*
*Cum procul oppoſita terrarum ſede remoti*
*Paphlagones Veneti Venetis ſua nomina Gallis*
*Armoricae gentes, ſimul & connubia iungent.*
*Hinc genus, & nomen populis commune duobus*
*Fiet idem, ſuperoq. mari dominabitur: illi*
*Vrbem conſtituam uerſis ex omnibus unam,*
*Magnificam, aeternam, ualidam tela omnia contra:*
*Quam neq. bellica uis, neque Doricus hauſerit ignis:*
*Quae non inſidijs, nec fraudi obnoxia: nec quo*
*Effoſſis ualeat penetrare cuniculus antris.*
*Non metuet diri crinemque, comasq. Cometae,*
*Non ſuperum fulmen: caelum ſancimus amicum.*
*Nos illam medijs pelagi ſtatuemus in undis,*
*Extremus refluo qua tunditur Hadria fluctu.*
*Is locus urbis erit, Riuusq. uocabitur altus,*

*Qui ſolos ſtagnantis aquae modo continet aeſtus;*
*Ac ſuper exſtantes nudato uertice colles:*
*Nunc tantum apricis ſtatio tutiſſima mergis,*
*Nobilis Altini reſonantia litora contra.*
*Tu, Neptune, ſolũ tribues pro moenibus aequor:*
*Tu, Phoebe, & ſtudia, & mores: tu, docta Minerua,*
*Artibus ingenuis ueteres renouabis Athenas:*
*Fundet opes tua larga manus cariſſima coniux,*
*Mars inuicta dabis generoſae pectora Romae.*
*Quod ſupereſt, (paruo neque enim molimine tantũ*
*Surget opus) primos ornent quae gentis honores*
*Tempore cuncta ſuo cumulabimus: aurea ueſtris*
*Adijcient aliquid ſemper uenientia donis*
*Saecula: teſtentur poſitam quae caelitus urbem.*
*Sic ſtatui. indubitare meae deſiſtite curae.*
*Securus ſua quiſque habeat, ſua regna reuiſat.*
*Iuppiter haec. Poſt dicta, Iubar ſuprema reluxit*
*Splendidius ſolito, Veneti Iubar omen honoris.*
*Quod ſi tantus amor tibi ſit, ſi tanta cupido,*
*Fortunas audire uirum, uenturaq. fata;*
*Accipe, quae quondam longi non inſcius aeui*
*Ipſe mihi Vates clare praedixit Apollo.*
*Accipe, namque ſuis referam tibi ſingula uerbis:*
*Quisque ſuis Venetam cumulabit dotibus urbem*

*Com-*

*Communi ſtudio, certatimq. aemula Diui*
*Dona ferent: Hermes commercia magna fouebit,*
*Vſque coloratis quae tranſmittentur ab Indis:*
*Vrbs una aduectis ditabit mercibus Orbem.*
*Acribus apta uiris excudet Mulciber aera,*
*Quae muris concluſa ſuis cuſtodiet ingens*
*Praeſidiumque, decusq. vrbis Nauale; frequenti*
*Armorũ inſtructum numero: ut cum feruida ſurgent*
*Proelia, & ancipiti ſub Marte pericula poſcent,*
*Diues opum celeri momento compleat horae*
*Militibus terras, armatis claſſibus undas.*
*Nec uero (quamquam ſolae ſpectantibus undae*
*Apparent, & quod liquidus maris educat humor,*
*Squamigerum pecus, & fecundi armenta profundi)*
*Defuerint fetus, quos tellus prodiga fundit,*
*Laetaq. largitur praediuite copia cornu.*
*Alma Ceres magno prouentu publica rumpet*
*Horrea, temporibus fruges ſeruantia duris*
*Illuc Nais aquas uicino e flumine ductas*
*Tranſuehet, ut ſalſa, non deſit dulcis, in unda.*
*Cretaea mittet Lenaeus Nectar ab Ida,*
*Vna per immenſum quod mox urbs diuidat Orbem.*
*Claudia foſſa ferax frugum dabit ubere largo*
*Finitimis populis, Venetaeq. obſonia genti.*

Quin-

*Quinetiam repetens terras Aſtraea relictas,*
*Hanc colet electis dilectam ex omnibus oram:*
*Nec ſecus, ac caelo, Veneta regnabit in urbe.*
*Hanc Themis aeternis fundabit legibus, ipſe*
*Pegaſidum chorus hic, & caſtae ſacra Mineruae*
*Turba comes figet ſedes, Helicone relicto.*
*Virginibus Venus alma ſuos afflabit honores,*
*Nec modo tres Charites; Charitum ſed mille figurae;*
*Mille etiam Veneres: Veneres diſcrimine paruo*
*Et Venetae diſtant; paene unum nomen utriſque*
*Eſſe Venus uoluit, queis par, eademq. uenuſtas.*
*Haec erit una decus pelagi, telluris, Olympi:*
*Pandorae in morem nulli indotata Deorum.*
*Addentur ſigna imperij, faſcesque, ſecuresque,*
*Atque magiſtratus, reddent qui gentibus aequa*
*Iura domi: quiq. arma foris uictricia tractent.*
*Nec non Patricij concordia pectora ciues.*
*Inq. ſuos proceres populi propenſa uoluntas.*
*Atque Quirinales litui, caeleſtiaq. arma*
*Innumera excelſo demiſſa ancilia caelo.*
*Et ſublime ſimul ſolium, inſignisq. tiara,*
*Ardentesq. auro trabeae Ducis ornamenta:*
*Magnanimumq. Ducum ſeries ueneranda, ſine ullis*
*Tempore praeſcripto metis, ſanctusq. Senatus.*

*Quae*

*Quae rata uenturi ſpectabunt cuncta nepotes,*
*Non modo ut in Veneta Reſpublica floreat urbe;*
*Sed Veneta in toto Reſpublica floreat Orbe.*
*Namque illi imperium dabitur terraque, mariq.*
*Perpetuum: electro, ſolidoq. adamante reuinctum:*
*Quod longe fines uirtute, & fortibus armis*
*Proferat: Illyrici praeclaras litoris urbes,*
*Corcyram, Cretamq. Iouis cunabula magni.*
*Multas praeterea poſitas tellure, ſaloque,*
*Conſilio reget, ac iugi ditione tenebit.*
*Et, licet aduerſi interdum diſcrimina Martis*
*Contingant: tamen euentu certiſſima laeto*
*Luſtrabit Venetos paſſis uictoria pennis.*
*Ereptaeq. illis olim palantibus urbes*
*Victores uiolenta noui iuga ferre coactae*
*Ad ueteres tandem patronos ſponte redibunt,*
*Et memores, placidae ditionis iura repoſcent.*
*Parebit prima ante alias Mauorte ſubacta*
*Vrbs, ortu damnanda tuo, trux Totila, quondam*
*Totila Romanis nimium deuote ruinis.*
*Mox Antenoreas, expulſis urbe Tyrannis*
*Felici auſpicio, multa ui muniet arces*
*Publica res Venetum: ſuccedent mollia duro*
*Iuſſa iugo: & dominos delebunt mente priores.*

*Deinde*

*Deinde ſuperba Atheſi, & docto Verona Catullo*
*(Dicta prius Brenona ſui de nomine Brenni)*
*Imperio accedet, frenis uſura remiſſis.*
*Quaeq. tibi natale ſolum, lectiſſime Vates*
*Galle, fori decus, atque illuſtris gloria Liui,*
*Galle Maronis amor, ſeruandae ab prodige uitae.*
*Tum quae ſublimis ſpecula deſpectat ab alta*
*Illimes ſcatebras, & amoenos Brixia campos.*
*Monte quoque exſurgēs ſubderis Bergomū, & o tu*
*Laeta racemiferis Vicetia collibus, almi*
*Diues agri, diues Cerealis munere glebae.*
*Poſt turrita noui dedent ſe moenia Comi,*
*Viciniq. lacus, & Laria litora circum.*
*Et quae ſubuerſa ſurget renouata Cremona*
*Vrbs ueteri mutilum ſeruans de nomine nomen,*
*Haud aegre Venetas admittet Crema ſecures,*
*Caeſar opus Federice tuum, cognomen ahena*
*Cui barba imponet Latijs memorabile terris.*
*Imperioq. alias plures labentibus annis*
*Adiunctas urbes poſſint ſubmittere partas,*
*Armis ſi cupiant uires intendere: at illis*
*Concordem firma Italiam ſub pace tueri,*
*Praeclarasq. animas, & uiuida pectora bello,*
*Atque ſuos placida populos ditione tenere*

*Gratius, extenſos quam finibus addere fines.*
*Quod (nil tale tamen cupientibus) afferet olim*
*Ipſa dies aucti imperij certiſſima teſtis.*
*Non illis caput acris equi, non Gorgonis ora,*
*Non Iouis armigeram Romana, & Troica ſigna;*
*Sed fuluos ſqualente tuba, ſqualentibus auro*
*Vnguibus, & toto ſpirantes corpore Martem,*
*Ipſe Deum genitor donabit habere Leones,*
*Conueniens animo Venetorum inſigne uirili.*
*Ceu Leo, quem dudum uenantum turba laceſſit,*
*Si quiſquam ſteterit contra, ſi intenderit arcum,*
*Tela diu ſpernens, indignas deſpicit iras,*
*Ac primum ſolo ſeſe terrore tuetur*
*Magnanimus, tamquam cogi teſtetur ad arma:*
*Ferreus at poſtquam iaculorum depluit imber,*
*Exacuit bilem contorto uerbere caudae,*
*Mox immane fremit, mox uires colligit omnes*
*Spumeus, ac uillis horrentibus aſperat armos.*
*Tum uelut incluſas uaginis exſerit ungues,*
*Nec iam iamq. moras patitur, ſeſe arduus infert,*
*Torua fronte ferox pugnam ciet ore cruento:*
*Vindictaeq. ſitim crudis laniatibus explet.*
*Ecce niger lacero manat de uulnere ſanguis,*
*Dente quod ille fero, quod adunco fecerit ungue:*

*Nec*

Nec premere abſiſtit, donec confecerit. et, ſi
Saeuiat ardeſcens; animantum non tamen ulli
In ſupplex, & inerme genus clementia maior.
Tam fortes animos miti ſub pectore uerſat:
Sic placidis parcent Veneti, tumidosq. domabunt.
O quos promittunt urbi uentura nepotes
Tempora? quam longo protendent limite metas?
Quanta prolatos fines, gentesq. ſubactas
Arte tuebuntur, maturis cuncta regentes
Conſilijs: quae longa ferent in ſaecula claros
Eximia uirtute Duces, latosq. triumphos.
Quotquot erunt artes naturae, aut munere Diuum,
Hic fixas merita ſedes ſtatione locabunt.
Non erit, ut regnis aequent ſe priſca futuris
Regna: nec acta Ducum iactent inuicta ſuorum,
Nec belli, pacisq. uices, nec ditia gentis
Dona ſuae, quaecumque illis prior extulit aetas
Siue Aſiae immortale decus, Nabataeaq. ſceptra:
Siue Sagax Libyae ſpectes, & ad obuia uelox
Ingenium: Europae ſeu bello fortia corda,
Pectoraq. aduerſae concedere neſcia ſorti.
Europae, & Libyes, Aſiaeq. humor affluit omnis
Ad Venetos, Diuisque, & fatis creſcet amicis.
Teucria Apollineae quis neſcit Pergama Troiae,

*Dardaniosq. Duces Diuum genus? inclyta quorum*
*Auſpicijs creuit Troianae gloria prolis,*
*Nomine diffuſo latum quae prima per orbem*
*Celſum inter reliquas caelo caput extulit urbes*
*Regnatrix Aſiae, ſtrataeq. e ſemine gentis*
*Per populos reparata ſuos, ſe clarior ipſa*
*Miſit in imperium profugos euerſa nepotes,*
*Et longaeua dedit magnis primordia regnis.*
*Egregijs fecunda uiris, & origine felix*
*Continua: aeterno Heroum ſe ſanguine iactans*
*Hectoras, Aeneas tulit, atque Antenoras altos.*
*Cecropidae ueteres tutricis cura Mineruae,*
*Qui primi obſcuras (nomen niſi Diua dediſſet)*
*Inuicta uirtute, animaq. auxiſtis Athenas*
*Vindice, telluris decus immortale Pelaſgae.*
*Quid loquar in ueſtrũ caput, excidiumq. paratas*
*Tot claſſes, turmasq. equitum, peditumq. cateruas,*
*Helleſpontiacum ſtratum eſt cum nauibus aequor,*
*Epotiq. ſuis caruerunt curſibus amnes?*
*Millia quot numquam duxere in proelia Perſae,*
*Fudiſtis uictrice manu: caecosq. timore*
*Claras ulti animas, temerataq. templa Deorum,*
*Cladibus attritos patria in deſerta fugaſtis,*
*Exiguisq. Orientis opes ceſſere maniplis.*

*Hinc*

*Hinc ſtatuere Duces uirtutis praemia ueſtrae*
*Committi curae imperij communis habenas,*
*Hic datus eſt meritis titulus: ſeruataq. ſoli*
*Cecropiae acceptam tulit urbi ſponte ſalutem*
*Graecia: Achaemenijs per quam defuncta periclis,*
*Debita numinibus patrijs Epinicia ſoluit.*
*Nec ſolum ualidis urbs inclyta floruit armis;*
*Artibus Aonidum, & ſollertis acumine mentis*
*Ciuibus in populos ſparſis inclaruit Orbi.*
*Atque, ſui ſemper ſimilis, fecunda uirorum,*
*Fudit Ariſtidas, Codros, iuſtosq. Solonas.*
*Tu quoque, quam profugi patria poſuere relicta,*
*Mercati uacua ſedes in litoris ora,*
*Femineis Tyrij auſpicijs crudele peroſi*
*Ingenium, facinusque, & ſordes regis auari:*
*Limitibus primo exiguis, arx parua, nec urbis*
*Nomine digna quidem, terroribus undique ſaepta*
*Spem uicinorum ſuperaſti ſpreta, tuamq.*
*Erepta ut ſcopulis e concurrentibus Argo.*
*Hinc dolet auectas gazas, auriq. talenta*
*Pygmalion: mentem nouit germana Tyranni,*
*Infirma obijciens ſperato moenia bello.*
*Hinc Numidae infrenes, gens rapto uiuere ſueta,*
*Et numquam paſſura nouas aſſurgere turres.*

*Inde proci, Veneris ſtimulis connubia reges*
*Obſequijsque, dolisq. petunt, uim ferre parati*
*Ponenti Libyco Tyrios in litore muros;*
*Si iuuenum uotis parere innupta recuſet.*
*Hinc ſolis habitata leonibus arua, ſitiq.*
*Torrida; & obducti cumulis feruentis arenae,*
*Deſerti late campi, ſerpentibus atris*
*Infames: pauidis adimuntur corda colonis;*
*Ardua ſed uirtus, duroq. aſſueta labori,*
*Atque alias quaerens ſedes quocumque ſub axe,*
*Offenſi non auſa ſolum remeare Tyranni:*
*Quaeſitos armis defendere certa penates,*
*Aut captis miſeram muris diffundere uitam.*
*Arctarum tandem uiolento turbine rerum*
*Obfirmata: metus uicit, fortisq. timore,*
*Vicinis intenta malis euaſit, & arcem*
*Anguſtam latae protendit nomen in urbis,*
*Factaq. Carthago ſpretis animoſa periclis.*
*Incautos tandem Reges iuga ferre coegit.*
*Auctaq. mox pelago Libyae ſub utroq. repoſtas*
*Imperio adiecit terras, natiuaq. iura,*
*Aequoris obiecti uiolans tentauit Iberos,*
*Alteraq. Heſperijs Carthago condita in oris*
*Iniecit frenos trepidis, & facta per illos*

*Eſt*

*Eſt uia ad exoſae ſublimia moenia Romae.*
*Quae (niſi tam cautis prudens cunctator in armis*
*Fregiſſet motus ſubitos) ſeruiſſet, & orbis,*
*Deleta, imperium rapuiſset libera Roma,*
*Carthago; hoc uno Roma minor: aemula nullos*
*Vmquam habuit Fabios, ſed atrocis fulmina belli:*
*Continuaq. illis ſurgentes ſtirpe nepotes*
*Euexere urbem ſuperi ad culmen honoris*
*Hannibal inuictus, ferus Haſdrubal, acer Hamilcar.*
*Martigenae proceres, Troum generoſa propago,*
*Magnanimos uerſis quos ſenſit Achaia fatis,*
*Vltores cinerum Troiae genitricis, & aequas*
*Victrici pridem de gente repoſcere poenas*
*Manibus Hectoreis, Phrygij ſolatia buſti.*
*Ortu parua ſuo, ſed magni exordia Regni:*
*Fratribus Etruſci fundata ad Tibridis undas,*
*Vos, magni Heroes, memores uirtutis auitae,*
*Sanguine ſeruaſtis ueſtro, populisq. ſubactis*
*Per uarios caſus, dubijq. pericula Martis*
*Arma triumphatum fixiſtis ueſtra per orbem,*
*Et tenues auxiſtis opes: interrita donec*
*Nil habuit uirtus, partis quod iungere poſſet,*
*Auſonia, cum iam totus foret orbis in urbe.*
*Quae paullum antiqua ſeducta propagine patrum,*

*Cognato retinens animas a ſemine, plures*
*Scipiadas genuit, Fabiosque, grauesq. Catones.*
*E ſpe tam tenui quis non miretur ad iſtos*
*Adſcendiſſe gradus, & tantae ad culmina famae,*
*Erectas procul a patria fugientibus arces,*
*Eſſent ſollicitae quae propugnacula uitae?*
*Quis neget hoc potuiſſe Deos, cum finibus ullis*
*Arctari nequeat fatorum aeterna uoluntas?*
*Sub Ioue Troia ſuo, (fuit auctor ſanguinis ille*
*Dardanij) ſummo nec tantum ſub Ioue; Diuos*
*Namque alios habuit; primi fundamina longe*
*Protulit imperij: donec mutata Deum mens,*
*Troadis euerſae poſt fata nouiſſima ſecum*
*In Latium aduexit Phrygios placata penates,*
*Antiquusq. nouam fauor eſt delatus in urbem,*
*Quam ſuperi iam tum tanta ſibi mole parabant*
*Tibridis ad ripas: ueteris Mars immemor irae*
*Acceſſit reliquis, atque auctus numine Martis*
*Protendit fauor imperium, cui cedere cuncta*
*Deberent: Roma eſt tot amicis condita Diuis*
*Terrea, quae primum coepto uix aggere tuta*
*Creuit, & extremo Diuum domus aurea fulſit.*
*An Dea deſpectas arces infenſa relinquat,*
*Queis clarum dederat uictrix certamine nomen,*

*Arbi-*

*Arbitrio quae bella ſuo diſponit, & artes:*
*Artibus ut uiduata ſuis, & diruta Marte*
*Vrbs, deſolatae fierent ſine nomine terrae?*
*Inuiſae potuit quae ſola euertere Troiae*
*Pergama, tot contra ſuperos, unamq. tueri*
*Non poſſit Diua (imperijs quae praeſidet) urbem?*
*Non opibus, non conſilijs auctare ſuperbi*
*Imperij fines, cum uidit inulta renatas*
*Creſcere relliquias Danaum: Iouis inclyta coniux*
*Non Latijs Libycos proceres, non moenia muris*
*Opponat, ratibusq. rates, non arma retundat*
*Armis, bis captos permittens uincere Troas?*
*Scilicet euerſa uoluit Carthagine Iuno*
*Fatorum immotas terris oſtendere leges.*
*Bellipotens ue Deus, Romanae conditor urbis,*
*Aduerſo nolit defendere Marte Latinos?*
*Quam potuiſſe, palam eſt. ceſſerunt numina fatis*
*Inuicta, & uictrix terrarum, ſe quoque uincit,*
*Ne quidquam inuictum toto ſpectetur in Orbe.*
*At, quicumque olim Venetae cunabula ſortis*
*Perpendet, noſcet formidinis omnia plena,*
*Plena fugae, accitumq. Dei crudele flagellum.*
*Cum tota Hunnorum facibus, belloq. cruento*
*Italia ardebit, tot deformata ruinis:*

*Nec*

*Nec iam ulli montes, praeruptaq. ſaxa latebras*
*Praebebunt: ſexus reuerentia nulla, nec aeui.*
*Figentur medijs manſurae in fluctibus aedes,*
*Pro muris erit unda ſali, ſpes una ſalutis*
*Reſtabit Venetis, ſolida tellure relicta:*
*Infido Venetus pelago ſe credet, & audax*
*Hadriaca inſolitis calcabit caerula plantis.*
*Cum procul audito ſtrepitu, querulisq. cadentum*
*Planctibus, extemplo terreſtria tecta peroſus*
*Scirpea componet, glaucisq. habitabit in uluis:*
*Inſtabiliq. ſalus ſtabilis quaeretur in unda,*
*Praeſidiumq. nouum, quod non exſcindere ferro*
*Attyla, non ſaeuis poterit ſubuertere flammis.*
*Vaſtata exſortes ſpectabunt omnia circum*
*Aequorei ciues: erit haec prima anchora tanti*
*Imperij, penitusq. uadis aget aucta ſub imis*
*Radices, parui firmans exordia pagi.*
*Quis toties grauibus perculſos corda procellis*
*Poſſe umquam ſaluos emergere credat ab undis,*
*Cladibus acciſos, exhauſtos, omnium egentes,*
*Infeſti obſeſſos odijsque, armisq. Tyranni?*
*Emergent tamen, atque ſuas loca prima ſalutis*
*Perpetuo cunas gens grata fouebit honore,*
*Talibus e cunis urbes, & regna gubernans.*

*Heroumq.*

*Heroumq. feret ductos e ſtirpe uetuſta*
*Tot proceres, quot nulla umquam prior extulit aetas,*
*Hectoras, Aeneasq. pios, Antenoras altos.*
*Fundet Ariſtidas, Codros, iuſtosq. Solonas.*
*Hannibal hic pugnax, ferus Haſdrubal, acer Hamilcar.*
*Scipiadae fortes, Fabijque, grauesq. Catones.*
*Mens eadem in patriam cunctis, eademq. uoluntas,*
*Mors uita potior, ſi publica commoda poſcant.*
*Nam, quid ego antiqua repetens ab origine pergã*
*Commemorare Duces, quos priſca Heraclia primũ*
*Iuſtitia, & pietate graues diademate cinget:*
*Cum lecti uirtute noua tot deinde ſequentur,*
*Qui late imperium extendent praeſtantibus auſis?*
SANNVTI *in primis, nomen queis Candia ponet,*
*Sic olim Cretam mutato nomine dicent.*
*Quippe Narentanis horrenda ſtrage peremptis,*
*Regna Liburna ſuae ditionis finibus addent.*
VRSEOLI *ſurgent, quibus Iſtria ſeruiet omnis,*
*Et iuga Dalmatiae roſtrata claſſe ſubacta,*
*Corcyramq. nigram dextra uictrice domabunt,*
*Vrbemq. Hadriaco facientem nomina ponto.*
*Altera Corcyrae accedet Corcyrae priori,*
*Cantatis olim Phaeacum nobilis hortis:*
*Agmen, & armatas ipſo ducente triremes*

*Principe*

*Principe* POLANO, *& uictos redeunte per hoſtes.*
*Te Duce, Turcarum clades, o* DANDVLE, *fines*
*Augebit Venetos centum Creta urbibus ingens,*
*Quam colet a forti uictore colonia ducta.*
*Tranſierim* ZENVM, *&* TEPVLOS, *Mauortia corda?*
*Tresq.* MICHAELES, *ſaeui tria fulmina belli?*
GRADONICOSQ. *Duces,* DELPHINVM, *& nomine* CELSVM,
*Celſum animo, domitae teſtis uictoria Cretae.*
*Tu quoque,* CORNARI, *mihi non indictus abibis,*
*Qui Cretam ſubiges, iterumque, iterumq. rebellem.*
*Nec te etiam taceam, prudens: ſed carmine digno*
*Quis celebret memoranda tuae praeconia laudis,*
CONTARENA *domus, Muſarum, & Martis alumna,*
*Feta bonis Sophiae, partis ornanda trophaeis?*
ANDREAS *fractos Ligures, fuſosq. fugabit,*
*Et captas pulſo Clugias ex hoſte repoſcens*
*Aſſueta extemplo uictor ſub iura reducet*
*Victoris ductu* PISANI: *quem ſua uirtus*
*Eximet a duris ad publica commoda uinclis.*
*Prole tua felix gens* MAVROCENA *frequenti*
*Quam ſaepe antiquos patriae renouabis honores?*
*Forſan & hic Torquati animum, moresq. requiras.*
*Sola ne Torquatis iactet ſe Roma ſeueris?*
*Hic etiam oblitum naturae iura parentem*

*Inuenies*

*Inuenies gladio leges ultore tuentem,*
*Antiquumq. nouo* VENERINI *in nomine Brutum;*
*Longe etiam Bruto, ſi pendas facta, priorem.*
*Ante tulit patriam ſuperato patris amore*
*Brutus; & infames natos noua bella mouentes*
*Infractus pulchra pro libertate cecidit.*
*Hic uero natum patrij ſecurus amoris*
*Degenerem pater indignans in uincula trudet*
*Vltor adulterij, & poenas cum ſanguine poſcet.*
*Ni procerum maior uincat clementia patrem.*
*Quid, ſi (immane nefas) ferus arma pararit, & ignes*
*Filius in patriam, ſcelus hoc qua morte piaſſet*
*Dux bonus, atque parens obſeruantiſſimus aequi?*
*Mirati hoc facinus tollent ſuper aſtra minores.*
*Conſilio ambiguum melior ne, an fortibus armis*
FOSCARE *produces* MARCI *uexilla Leonem.*
*Te laetae excipient uictorem Brixia, Crema,*
*Bergomum, & eiecto Verona recepta, Philippo.*
*Ecquis praetereat* STENVM, MAVRVMQ. TRONVMQ.
*Rectores, dubijs interrita pectora rebus?*
*Quis* MARCELLORVM *Latio de ſemine prolem*
*Venturam tacitus merita ſine laude relinquat?*
*Quorum degeneres animos nulla arguet aetas.*
*Marcello aequales cecinit quos muſa Maronis.*

*Aut*

*Aut quis* BARBADICOS *diuerſo pectore fratres?*
*Alter enim pacis ſtudio, belli inclytus alter.*
*Ille Numam referens, hic cretum Marte Quirinũ.*
LAVREDANA *domus, longis exercita bellis,*
*Fortiter acciſas pugnando reſtituit res,*
*Extendens longo ueteres diſcrimine metas.*
GRIMANI *dicam ne, an facta ingentia* GRITTI?
*An* LANDI *ingenium prudens, mentemq. ſagacem?*
*Ingentes ne animos* DONATI, *& nobile nomen?*
*Vis ne* TRIVISANVM *memorẽ tibi, uis ne* PRIVLOS,
*Illuſtres animas? uobis non ultima laudum*
*Praemia debentur. Quo nunc te carmine porro*
*Proſequar, o deus, o* MOCENICAE *gloria gentis,*
*Tot Ducibus clara; at* LODOICO *clarior uno.*
*Poſt longos, olim ſaeclis uenientibus, annos,*
*Pacificam rigido iunget qui Pallada Marti,*
*Fortunamq. ferens comitem uirtutis in hoſtes*
*Infractos rapido proſternet fulmine Turcas,*
*Victoriq. illi Naupactia litora plaudent.*
*Quod reliquũ eſt, ut praecipuo cumuletur honore,*
*Sarmatici moderans Galliq.* HENRICVS *habenas*
*Imperij meritis ingens, hanc uiſet, & hoſpes*
*Magnae urbis magnus ſublimia tecta ſubibit,*
*Magnifica exceptus pompa, cum regna relinquet*
*Sauro-*

*Sauromatum, ut fratris ſceptrum regale repoſcat,*
*Quem fata ante diem rapient, fata inuida Gallis.*
*Quo feſſum rapis, o* VENERI, *fortiſſime Princeps,*
*Nil Veneris, ſed Martis habens uireſque, animoſq.*
*Te quondam imperijs grauidum, grauidũq. triumphis*
*Numina praecipui tollent ad culmen honoris*
*Egregia uirtute Ducem, ſolioq. locabunt.*
*Funeſta poſtquam Naupacti ad litora clade,*
*Nauali infeſtos certamine fuderis hoſtes:*
*Ductor agens pelago Venetas in proelia claſſes*
*Auſpicijs,* MOCENICE, *tuis. communis utriq. haec*
*Gloria: tu ne alium malles poſt ultima fata,*
*O* MOCENICE, *tuis quemquam ſuccedere ſceptris?*
*Tu,* VENERI, *pauida fractos formidine Turcas*
*Fortunam, uireſq. tuas horreſcere coges;*
*Vana nec illius fient praeludia pugnae.*
*Te maiora manent. Sic eſt Iouis aequa uoluntas.*
*Cur ego te, qui ſceptra geres* DE PONTE *ſilebo?*
*Cui Themis afflabit mentem, cui lance benigna*
*Ipſa ſuas effundet opes Iuſtiſſima uirgo,*
*Cui ſummum patriae regimen committet; ut urbi*
*Ac Venetum populis Saturnia regna reducas*
*Aureus: & dulci, Duce te, gens laeta quiete*
*Gaudeat. ah ne quis temeret tua munera uaecors?*

*Nam,*

*Nam, qui tranquillae turbauerit otia pacis,*
*Sentiet offenſi uictricia Principis arma,*
*Inq. Numa placido rigidum regnare Quirinum.*
*Quid memorem plures alios, qui lumina tantae*
*Vrbis erunt, multis in ſe redeuntibus annis?*
*Nam, quis erit finis, reliquos ſi dicere pergam*
*Heroas, quorum eximijs uirtutibus ingens*
*Imperium Oceano, nomenq. aequabitur aſtris?*
*Haec memoraſſe ſatis. poſt non ita longa Nepotes*
*Tempora, uerſa fuga uictum dare terga uidebunt*
*Regnatorem Aſiae: totoq. Oriente ſubacto*
*Victrici Venetas claſſes cum fronde reuertit.*
*Dixit: & Aonias repetiuit Muſa Sorores.*
*Iam pater omnipotens immitia facta Gigantum*
*Vltus erat, caeloq. aberat metus omnis, & arces*
*Extremo maris Hadriaci fundabat in aeſtu:*
*Promiſſiq. memor ſenſim uentura fouebat*
*Vrbis, & imperij magni fundamina: donec*
*Poneret euerſis renouatam ex omnibus unam*
*Solamen Diuum, ueterisq. obliuia damni.*
*Interea, partes oculos dum uerſat in omnes,*
*E minus ut uidit poſitam maris arbiter urbem,*
*In regno florere ſuo: quam uix capit ipſe,*
*Laetitia exſultans, uelocem protinus ad ſe*

*Acci-*

*Acciri Tritona iubet, cui talia mandat:*
*Vade age nate, mei per ſpumea paſcua regni,*
*Per iuga, conuallesq. imas, camposq. liquentes*
*Noſtrorum genus omne Deum, genus omne natãtum*
*Huc ſiſte, haec mecum attoniti ut miracula cernant.*
*Quae ſimul accepit deterſa ex auribus alga,*
*Caeruleus tubicen tumidarum numen aquarum*
*Squamea uentoſa longe euocat agmina concha,*
*Aequoreosq. Deos, & numina ſancta Dearum.*
*Ingentem ſonitum Phorci chorus audijt omnis,*
*Quaecumque Oceani ſalſo nat turba profundo,*
*Et quaecumque bibit dulces ex omnibus undas.*
*Haud mora, iam nulla mentitus membra figura*
*Accurrit uaſto properans e gurgite Proteus,*
*Ac deguſtato Glaucus iam gramine felix,*
*Aeternusq. Deus: tener, & cum Marte Palaemon,*
*Oceaniq. uxor Tethys, cum Deiopea,*
*Nympharumq. parens Doris, coniuxque, ſororq.*
*Caerula grandaeui Nerei, Panopaeaq. uirgo,*
*Cydippe, Drimoque, Ligeaque, Cymodoceque,*
*Et uiridi Melite, flauoq. Thalia capillo,*
*Et Clymene, & Xantho, Beroeque, aliaeq. ſorores,*
*Et maris indigetes, praeſentia numina Diui.*
*En exſtant ſuper Hadriacas Nereides undas*

D Pube

*Pube tenus, reliquum caelantes aequore piſcem,*
*Crurum inſtar bifida qui pendet ab inguine cauda*
*Tinguntur niueae fluctu aſſiliente papillae,*
*Et ſparſi uolitant per eburnea colla capilli,*
*Quos importuna mulcent dum leniter aura,*
*Diſturbant ſemper, ſemperq. in deuia torquent*
*Indociles Zephyri laſciuo abſiſtere ludo.*
*Cetera turba Deum feſta permiſta chorea*
*Laetitiae teſtes crebros dat in aequore motus.*
*Quale examen apum primi ſub tempora ueris,*
*Exercet cum mellis amor per florea rura;*
*Aut ubi per ſudum ludentes aera tranant,*
*Et uarios curſus iterant, iterantq. recurſus,*
*Nunc huc, nunc illuc uolitantes ordine longo,*
*Laetaq. praebentes uacuae ſpectacula plebi:*
*Talis turma Deum pelagi per marmora fertur,*
*Squameaq. inſequitur legioque, cohorsq. natantum.*
*Huc properat cunctis patriae de partibus undae,*
*Mutus ab Oceano ueniens exercitus alto.*
*Certatimq. ruens fluuijs ex omnibus agmen,*
*Illyricos penetratq. ſinus, oraſq. Liburnas.*
*Ilicet implicitus ſpiris ſeſe explicat Anguis,*
*Et citus Hadriaco crebros dat in aequore tortus.*
*Tũ quae concipitur, neq. mas, neq. femina, coeno,*
*Vtq.*

*Vtq. parente caret, ſic prolem non creat ipſa,*
*Lubrica de digitis Anguilla elabitur arctis,*
*Ficulnisq. licet folijs retinere labores,*
*Effluit: atque agili celeris ſalit in freta lapſu,*
*Praecipitatq. moras, & corpore marmora uerrit.*
*Hortenſi, tua deſereret uiuaria) quamuis*
*Illacrymes) Murena tibi dilectior aequo;*
*Auratis diſtincta licet nullo ordine punctis.*
*Illa homines morſu laniat crudeliter, ora*
*Rictibus oblongis diducens anſeris inſtar:*
*Nedum hoſtes Cancros ſerrato dente laceſſit,*
*Oſor aquae dulcis, nulloq. in flumine uiſa;*
*Piſcinis cuperet fluitare per alta relictis.*
*Quaeq. gerens olim gemmata monilia collo*
*Excuſſit (mirum) largos tibi mortua fletus,*
*Craſſe, nouo piſcis donatus honore ſepulcri.*
*Accelerans ſecum ſocias adduceret omnes*
*Spectatum Venetas ſedes, ſi uita maneret.*
*Quae lambit petras, exſugitq. ore rotundo*
*Bis ſeptemgeminis ſpirans perq. aequora branchis,*
*Perq. undas dulces uolucri Muſtella natatu;*
*Aduolat Euganeis uicinam collibus urbem,*
*Quae nutu Hadriacae late imperat Amphitritae.*
*Impiger huc pernice fuga defertur Aſellus,*

*Nec properum tardat rabioſa Canicula curſum.*
*Nec celeres Thynnos remoratur Sirius idem,*
*Sub pinna quamuis defixus pugnat Aſilus.*
*Praelongi Gladius ferit aequor acumine roſtri,*
*Serra ſecus cumulos undarum, & caerula ſulcat.*
*Longa acie mucronis Acus freta perforat alta,*
*Diuiſosq. ſuit protenta cuſpide fluctus.*
*Huc Rota cum radijs, moduloq. aduoluitur ipſo*
*Ranaq. piſcatrix, & tactu Stella perurens,*
*Olli tantus enim eſt ignito in corpore feruor,*
*Protinus ut peragat quidquid congeſſit in aluum.*
*Cornutusq. Aries, & pictis Mormylus alis,*
*Perrarusq. Faber, generoſos inter habendus.*
*Et uolitans Lolligo, niger Coracinus, & Orbis*
*Orbe ſuo conſtans, atque ardens nocte lucerna,*
*Maenaq. cum Leutris metuentibus aequore mergi.*
*Cum ramis Arbos, & cum Squilla hoſpite Pinna:*
*Vna etenim domus eſt, unumq. cubile duobus,*
*Menſa eadem, par uita, & mens, ſtudiumq. rapinae.*
*Pinna caſae pandit cameratae argentea clauſtra*
*Piſciculis praebens uelut orbum lumine corpus,*
*Quo uafra incautos allectet, & opprimat aſtu.*
*Namque leui paſſam, Squillae morſu indice, teſtam*
*Comprimit; & partes praedam diſpenſat in aequas.*
*Sic*

*Sic ferus interdum praedator praeda fit ipſe,*
*Inſidiasq. parans alijs ſibi retia tendit.*
*Vindicibus ſpectant oculis pia numina fraudem.*
*Quae caput occultans, occultam ſe putat eſſe,*
*(Cum Cephalo hoc illi commune) latere recuſat:*
*Verum oculos fallens ſubito fluit Vmbra natatu.*
*Hirſutus non iam ſcopulis ſe affigit Echinus.*
*(Cui ſunt pro pedibus ſpinae) ſed uoluit in orbem,*
*Nec tempeſtatem metuens ſua terga ſaburrat.*
*Tum quae nidificat limoſis Salpa ſub undis,*
*Aut Chromis, aut pariens neglecta Phicys in alga*
*Feſtini dulces pullos, nidumq. relinquunt.*
*Aſtacus alterius patriae correptus amore,*
*Hadriacosq. ſuis cupidus praeferre penates,*
*Dulce ſolum natale, aſſuetaq. deſerit antra.*
*Diſtinctusq. Salar rubicundis tergora naeuis*
*Ante ſibi gratum faſtidit ſponte Moſellam.*
*Aurea qui nitidi ſpeculatus ſidera caeli,*
*Ex quo nomen habes, terram praeponis Olympo,*
*Immotosq. oculos Venetas defigis in arces.*
*Accurrit linquens ſiccam Exocaetus arenam,*
*(Clitorium circa uocalis, & alter Adonis)*
*Hadria qua refluit mage grata cubilia quaerit.*
*Huc & Hirundo uolans paſſis ſecat aera pennis,*

Aut certe pinnis longas imitantibus alas.
Huc Acipenſer, Helops alij (mirabile) uerſis
Os uerſus ſquamis, aduerſas enatat undas.
Humanamq. hominis faciem mentitus, & ora,
Cui primum uiſo Monachi de nomine nomen
Inſcia turba dedit ſimili ſuadente figura,
Mutum ſemihominem Venetis oſtendit in undis.
Quid Scarus? undoſae concluſus carcere naſſae
Vimineo, clathris numquam caput inſerit arctis;
Sed tenuis, crebro colluctans uerbere caudae,
Anguſtasq. fores laxans, dum rima fatiſcat
Lata ſatis: tandem diſtenta crate, retrorſum
Callidus erumpit: nec quidquam prata moratur,
(Ille licet ſolus depaſtas ruminet herbas)
Quin ruat, atque nouam laetus contendat ad urbem.
Carniuorusq. Glanis Maeandriq. incola, & Hermi,
E duris curuos infringit dentibus hamos,
Vt ſe adimat praedae, ſuperumq. euadat in aequor.
At numquam attingens hamum, ſed rete Silurus,
Qui Gallo uati mitis Balaena Moſellae eſt:
Quemq. alit Euphrates, Phaſisq. & Rhenus, & Iſter,
Diſtendens longi proceros corporis artus
Praecipiti curſu ſocios comitatur euntes.
Abſtinet hamata ſollers, ac prouidus eſca,

Vt

*Vt natet Hadriacas uelox Melanurus ad oras.*
*Quae quinas plano maculas in tergore geſtat*
*Aſſimiles oculis nigrantibus, & natiuae*
*Quincuncis poſito referentes ordine formam,*
*Tectis tuta dolis, namq. illis ſpicula deſunt:*
*Inde ſibi metuens, caecae non inſcia fraudis*
*Quam natura dedit, fundit Torpedo ueternum*
*Icta ſuum, quod per calamos, per lina, per haſtas*
*Eminus inſpirans torpentes alligat artus*
*Piſcantum: ſolo (ut perhibent) non frigore, ſed ui*
*Occulta, toto latitat quae corpore miſta*
*Viuentis; nec enim eſt eadem uis lumine caſſae,*
*Quam uel odor gignit, uel uiui corporis aura.*
*Haec fluido (quamquam tarda grauitate prematur)*
*Accelerat lapſu, tremulosq. dat in mare ſaltus*
*Ionium, portus Venetos uiſura recentes.*
*Iam teſtudineo ſegnis Teſtudo per undas*
*Incedens paſſu, celeri uolat ocior Euro.*
*Paruula nec puppes, aut clauo, aut fixa carinae,*
*In medijs Echeneis aquis remoratur euntes:*
*Quin licet impulſas uentis, praeteruolat omnes,*
*Et, niſi feſtinet, quas anchora iacta profundo*
*Quas nulli teneant funes; haec una retardet:*
*Vt neque uis hiemis, neque flabra furentia contra,*

*Non aeſtus furor indomiti diuellere poſſint.*
*Tam natura potens, mirandaq. ſemipedalis*
*Piſciculi, rabiem pelagi quae ſola refrenet?*
*Et qui ueliferis ſocium ſe nauibus addit*
*(Vnde datum nomen) nautis gratiſſimus augur*
*Nautilus epotis (tamquam ſe ſponte ſaburret)*
*Fluctibus, ima grauis prono ſubit aequora lapſu:*
*Hinc auras repetit, fundoq. ſupinus ab alto*
*In ſuperas ſenſim emergens ſe ſubrigit undas,*
*Ac, uelut exoneret ſentinam, hauſtũ euomit aequor,*
*Ingenitamq. ſibi naturae munere Cymbam*
*Inſtruit ad curſus: duo brachia prima retorquens*
*Membranam tenuem, quae uento impulſa tumeſcit,*
*Non ſecus ac uelum, ſpirantibus explicat Euris;*
*Brachiolisq. alijs ſubremigat; exiguaque,*
*Pro clauo, cauda moderans, flectensq. carinam*
*More Liburnarum tranquilla per aequora ludit.*
*Se rate, ſe uelo, ſe clauo, & remige fretus.*
*Hoc ego, non alio, Mynias didiciſſe magiſtro*
*Ignotas tentare uias, ſinuoſa per altum*
*Vela dare, & primam remis impellere pinum,*
*Atque gubernaculo uitare pericula ponti,*
*Crediderim: prior hic Typhis, prior haec fuit Argo*
*Exſilit, & ſeſe Pectunculus ipſe carinat.*

*Con-*

*Conchaq. uelificat pelago Cythereia ſummo*
*Opponens leui Teſtacea carbaſa uento.*
*Tortilibusq. natant circumdata Buccina gyris*
*Atque ſuos numerant inſculptis orbibus annos.*
*Muti mille alij feriunt uada feruida nantes,*
*Spumea concuſſis caneſcunt marmora pinnis,*
*Vt cum tecta latet candenti ſub niue tellus.*
*Dulcis aquae populi, Euxini plebs incola Ponti,*
*Vaſtiq. Oceani furuis gens alta latebris*
*Turmatim agglomerant denſa ſtipante corona.*
*Vt formicarum longo ordine ſemita feruet,*
*Dum congeſta hiemis memores frumenta recondunt,*
*At corroſa prius, naturae lege magiſtra,*
*Ne rurſum in ſtipulas tellure repoſta reſurgant,*
*Cura adeo ſollers illis, & gnara futuri?*
*At parte ex alia litui clangore uocatus*
*Qui pando quondam geſtarat Ariona dorſo,*
*Et reliqui obſcuris pelagi Delphines ab antris*
*Aera per uacuum ſeſe iaculantur in aethram,*
*Haud ſecus ac miſſae neruo ſtridente ſagittae,*
*Intima teſtantes iterato gaudia ſaltu:*
*Quo tempeſtatis dant proxima ſigna ſerenae,*
*Si fluctum eructent uertentibus aequora uentis.*
*Laeta quoque exſiſtunt immani corpore Cete,*

*(Non*

(Non aſſueta licet ſuperi maris aequore rauco)
Et ſpatioſa ſuis in frontibus ora recludunt,
Ora, quibus montes nimborum ad ſidera iactant.
Hirtaq. deformes exſertat brachia Phocae,
Brachiaque, & corium, & ſetas, atque horrida torui
Ora bouis, ſomno mugitum edentia raucum.
Hic etiam ſocialis amor ſpectatur in undis.
Balaenae Dux monſtrat iter, quod praeuius anteit
Muſculus; atque docet, qua tutius aequor arandum,
Crebraq. dorſa maris fugitans interſecat altum:
Ne uaſta in rigidas impingat bellua cautes,
Caeca ſupercilijs oculorum umbrantibus orbes
Pondere depreſſis nimio, pinguiq. ſagina.
Sic inter fluctus nauta rectore latentes
Declinat pinus ſcopulos, & litora tangit.
Diluuie gaudens demergere uela Phyſeter,
Immane exſpirans, & corpus more columnae
Attollens, fundensq. procul ſua flumina, nullos
Iam reuomit fluctus, aequor ue refundit in aequor.
Quamuis infeſtae Cetis enormibus Orcae,
Nant tamen unanimes, & corda ferocia ponunt.
Iam Lupus, & Mugil, uelut icto foedere iuncti;
Inſidias non ille parat; non iſte paueſcit.
Iam didicit Conchis ignoſcere Polypus exos,
Con-

*Conſtantem retinens uaria in tellure colorem.*
*Hinc dolus omnis abeſt, nec cominus inſidet hoſtis.*
*Iamq. cateruatim coeunt examine denſo,*
*Nec cum Delphinis Amyae ſua proelia miſcent.*
*Non iam contrahitur frondoſa Vrtica, colorem*
*Non attacta ſuum mutat non amplius acri*
*Pruritu iniecto, ueluti terreſtris, adurit.*
*Non iam Cancer atrox hoſtem praedatur hiantē,*
*Immiſſo prohibens occludere clauſtra lapillo.*
*Oſtrea nec lances Cancro uafra tendit apertas,*
*Vt captum adductis includat carcere tectis.*
*Nigra nec Hadriacas infuſcat Sepia lymphas,*
*Se praedae eripiens profuſi fraude cruoris.*
*Nec trucibus placidi piſces ſunt piſcibus eſca.*
*Depoſitis nimirum odijs amor omnibus idem.*
*Huc ades, humanos a piſcibus accipe mores,*
*Qui cognata (nefas) torques in uiſcera ferrum,*
*Qui maculas ſaeuam fraterno ſanguine dextram,*
*Qui perimis, quem debueras uel morte tueri,*
*Pone inimicitias, ſtudiumq. amplectere pacis.*
*Cur Scolopendra uomat, quos non deglutijt hamos?*
*Cur Trygon radio quemquam transfigat acuto?*
*Cur pugnax ſtimulis pungat Centina cruentis?*
*Cur iterum Galeus catulos in uiſcera condat?*

*Omnia*

Omnia tuta uident. tenduntur retia nuſquam.
Sunt, & qui raris contendant uincere donis.
Puniceae uegetum Violae mentita colorem,
Herculei canis indicio; caſuq. repertum,
Huc ſecum adduxere ſuum Conchilia florem.
Nigrantiq. roſae ſimilem fert Purpurea ſuccum
Faucibus in medijs, qui uena includitur alba;
Effuſura ſimul dulcem cum ſanguine uitam;
Vt gemino ornati Patres ſplendore coruſcent:
Purpureis ſeu ſe (quoties ſollemnia poſcent)
Oſtentare togis libeat: ſtupefactaq. uulgi
Sole repercuſsis perſtringere lumina flammis:
Seu libeat Tyrio ſaturatis ueſtibus oſtro,
Mutato luxu regali incedere pompa.
Conchae etiam nuribus conceptas rore ſereno,
Caelitus illapſo gemmas dant ferre nitentes.
Dat Cochleas Venus ipſa ſuas utrimq. reflexo
Introrſum latere: & dorſo uariante colorem;
Maior ut accedat muliebri gratia mundo.
Murena auratus fert Druſi uxoris inaures.
Pulchra ſupercilijs pretioſum Aurata metallum.
Denique quiſque nouae ſeque, & ſua conſecrat urbi.
Ne Venetis umquam deſint obſonia menſis.
Cuncta armēta ſali, ſimul & grex omnis inundant
Numi-

*Numinaque, & Superi late maris omnia complent,*
*Neptunumq. uaga circumſtant undique turba.*
*Ille, ut erat medius, patremq. intentus in omnem,*
*Huc, illuc hilari direxit lumina uultu,*
*Quo pelagi fluctus, tempeſtatesq. ſerenat.*
*Totq. ſimul populos ut uidit eſſe natantes,*
*Ecquid, ait, dilecta mei gens incola ponti*
*Haec uos pompa mouet? uos haec mea gaudia tangũt?*
*Cernitis (haec etenim ueſtri fuit unda uocandi*
*Cauſſa) nouam noſtris, & ſolam in fluctibus urbem*
*Audaci poſitu, at felicibus haud minus auſis.*
*Haec reliquas inter tantum ſeſe efferet urbes,*
*Exiguos quantum ſuperant uaſta aequora fontes.*
*Quãdoquidem inſtabili ſe credidit illa profundo,*
*Primaq. conſtituit liquidis confidere regnis:*
*Faxo ego ne in noſtro fruſtra ſperaſſe putetur*
*Numine praeſidium. Diuorum eſt magna tueri.*
*Vos etiam undicolae multo cariſſima nobis*
*Numina; uos ſimili mecum properate fauentes*
*Officio: hanc alacres multis e millibus unam*
*Conſpicuam, & toti mirandam oſtendite caelo.*
*Dixit: & erecto uada per tranquilla tridente*
*Luſtrauit Venetam uerbis felicibus vrbem.*
*At reliquos eadem prius indulgentia Diuos*

*Mouerat:*

*Mouerat: actutum ſimili ſtuduere fauentes*
*Officio: hanc una multis e millibus unam*
*Conſpicuam, & toti mirandam oſtendere caelo.*
*Illā omnes maris indigenae longo agmine luſtrant,*
*Suſpiciuntq. nouas Venetis in fluctibus arces;*
*Quas laeti magno ſtrepituque ſonoq. ſalutant:*
*Pulſa triumphali reſponſant litora plauſu.*
*Lucebant fauſtis fauſta omnia ſedibus aſtra,*
*Perpetuum ſolita imperium promittere terris.*
*Iuppiter omnipotens urbis fundamina iecit,*
*Solem Aries reducem ueheret dum cornibus aureis*
*Queis aperit primi renouata exordia ueris,*
*Vndique conuexi ſummo de culmine caeli*
*Omnia mundi oculo luſtrante, & lancibus aequis;*
*Dimidium librante diem, noctesq. diebus*
*Exaequante pari ſpatio, lucemq. tenebris:*
*Aduerſa officium ceſſit dum Libra uiciſſim,*
*Merſauitq. iugum: Veneris cum ſidus eodem*
*Ariete ferretur: rectusq. in parte mearet*
*Iuppiter undecima fulgentis Piſcibus aſtri,*
*Rectusq. octaua Cyllenius: undique ſignis*
*Oppoſita alterno ſpectantibus ora fauore.*
*Talis erat mundi primum naſcentis origo.*
*Caeli eadem facies. Ergo idem finis utrique.*

*Dum*

*Dum ſtabit tellus, dum caelo ſigna micabunt,*
*Dum fluet unda maris, Venetorum urbs alta manebit:*
*Nec niſi conuulſo Reſpublica corruet Orbe.*
*Verſibus o utinam noſtris ſit terminus idem.*
*Sed datur hoc paucis, ſibi quos deuinxit Apollo*
*Viuaci aeternam largitus carmine uitam.*
*Sic uoluiſſe ſatis. Quid, ſi Deus iſta perennet?*
*Quo res cumque cadat, laudetur ſumma poteſtas.*

# VENETIARVM

## LIBER · SECVNDVS

AD. CLARISS. AC. AMPLISS.
VIRVM
VIDVM · FABRVM · PIBRACVM
Secretioris Regij Conſilij participem,
& ſupremae Pariſienſis Curiae
Praeſidem.

*HAec mihi Calliope diuina uoce canebat,*
*Implicita euoluēs fatalis ſtamina fuſi:*
*Cum ſubito attonitum teneri dulcedine cantus*
*Deſeruit, dictis longe maiora relinquens,*
*Magnifica in primis: & quanta ego ſedulus hoſpes*

Perluſtrans oculis ſibi diffidentibus, hauſi.
Tu Deus, undarum cui ſorte ſuprema poteſtas
Obtigit, incepto praeſens ſuccurre labori,
Dum, Neptune, tuae laudes perſtringimus urbis,
Et nimis audaci uaſtum rate currimus aequor.
Da modo te placidum, da uentis uela ſecundis,
Et puppi curſum facilem, facilemq. recurſum.
Tuq. adeo uirtute potens, tu cura Deorum,
Tu Gallae, & Latiae Pitho ſuauiſſima linguae,
PIBRACE, magne Heros, clari pars magna Senatus,
Aulae, & conſilij non infima gloria ſacri,
Sis bonus o, felixq. meos age dirige greſſus
Inſolitum per iter, per mille ignota uiarum,
Vt tua pone legam tuta ueſtigia cymba.
Feſta dies aderat patriae ſacrata patrono,
Sollemnis genti, ſubeunte Hyperione Taurum,
Tempore, quo LANDVS rerum flectebat habenas,
Ante alios longe Dux prudentiſſimus omnes.
Magnificam ingredior multis cum millibus urbem.
Hic primo obtutu, primoq. in limine ad aſtra
Taenariae ſurgunt utraque ex parte columnae,
Perpetuo lapide inciſae, multamq. per artem.
Quae reducem doceant, ſtellanti ſede relicta,
Aſtraeam fixas poſuiſſe hoc litore ſedes.

Hic

Hic quoque fundatae pelagi ſub fluctibus imis
Altius aſſurgunt uicinae nubibus aedes,
Cinctaq. contiguis quamquam ſint omnia riuis,
Eſt tamen & ſiccis pedibus uia peruia: namque
Ponticuli appoſitas iungunt longo ordine moles:
Neue obſit domibus tumidae grauis impetus undae,
Aggeribus longis illiſus frangitur aeſtus.
Queis tutae immanes metuunt nil aequoris iras:
Nereaq. aſſiduo tundentem litora fluctu.
Totne uias urbis memorabo? totne phaſelos?
Non hic arte regit celeres auriga quadrigas,
Nulla Peletronios exercent frena bimembres,
Nullus Ericthonius, nullusq. hic uſus equorum;
Innocui Venetis niſi qui aedificantur Epeis:
Plurimus at Typhis, promptaeq. ad uota carinae,
Artifici paſſim uolitantes remige currus,
Durataeq. leui gradientes flamine mulae.
Ipſe etiam muros pulſans pede nauita, lembum
Quolibet impellit ſpirante ualentius Auſtro,
Tota adeo in leuibus Venetum ſtat cura Phaſelis.
Antiquae nec mox ſtirpis, ſtudiumq. remanſit;
Sed ſuus armenti cultus deſueuit equini.
Theſides iſtis uixiſſet tutus in oris.
Nec lapſu ſternacis equi periſſet Agenor.

*Nec te Potniades laceraſſent, Glauce, quadrigae.*
*Procedo, cupidusq. oculis loca cetera luſtro,*
*In primis dictam Diui de nomine Marci*
*Contemplor plateam, atque ornata palatia circum,*
*Dein altam uaſto ſuſpectu, & culmine turrim*
*Aurato longe tecto, radijsq. coruſcam;*
*Cuius ad excelſi ualeant faſtigia tecti*
*Iumenta accliui conſcendere leniter actu.*
*Demiror Pario ſtructum de marmore templum,*
*Templum magnae opibus Cretae, Cypriq. beatae,*
*Praecipuisq. Arabum gazis, & diuite cultu*
*Spectandum, & toto ſignis Oriente petitis.*
*Ipſa aedes gemmis late ſplendentibus ardet,*
*Et media referente diem de nocte Pyropo,*
*Quis celebret priſca tot ſculptas arte columnas,*
*Diſperſis maculis inſignes, ſiue Laconum*
*Rupibus exciſas, Phrygiae ſeu Sinados antro?*
*Quis pulchro Praſij laquearia fornice ſaxi*
*Fulta, & mille locis emblemata mille colorum*
*Vermiculata, nihil tabulis cedentia pictis?*
*Quis ue (quod Italicis raro ſpectatur in oris)*
*Arte laborato ſpecularia lucida uitro,*
*Et conſtrata ſolo uarijs Aſarota figuris?*
*Vt uidi tam multa ſacri miracula templi*

 *Circum*

*Circum ſparſa oculos; dubium me copia fecit*
*Artificumq. manus, priſcorumq. aemula uirtus,*
*Haeſit & incertae titubans ſententia mentis,*
*An primo immenſi pretij tua cornua ponam,*
*Cornua, quae media protendunt unica fronte*
*Hinc Graio dicti cognomine Mounocerotes,*
*Cornua letiferis medicamina certa uenenis?*
*Mentoreis ne prius memorem uaſa aſpera ſignis,*
*Quorum excellenti natura euincitur arte?*
*An baccis, auroq. grauem, ardentiq. Pyropo,*
*Principis admiranda noui ornamementa tiaram?*
*An ne alios cultus, & pectoris aurea bis ſex*
*Tegmenta, atque paci numero, maſſaq. coronas,*
*Quae Venetam rutilis ornant fulgoribus aram*
*Cypriadum quondam geſtamina Reginarum?*
*An potius fani ualuarum in parte ſuprema*
*Quattuor infrenes, nudosq. ex aere caballos*
*(Inſignita quibus libertas publica gentis)*
*Arte Corinthiaca fuſos uiuente metallo,*
*Cypria quos peperit Temeſe iam effeta fodinis?*
*Ardua queis ceruix, caput acre, auresq. micantes,*
*Praegrandes oculi: meat amplis naribus ignis,*
*Spumantiq. ardens erumpit ſpiritus ore:*
*Tum iuba ſubſultans in fronte alludit, & armo*

*Luxuriante toris: tergumque, & pectus obeſum,*
*Spinaq. lata duos diducit concaua lumbos,*
*Formoſae clunes, breuis aluus, criſpaq. cauda.*
*Vt nihil hic praeter ſonitum, hinnitumq. requiras.*
*Quos etiam audires, poſito ſi murmure uenti*
*Immotos ſinerent tranquillo in litore fluctus.*
*Talem Actaea tuo, Neptune, impulſa tridenti*
*Fudit equum tellus Argiui in munus Adraſti.*
*Solis equis ſimiles miſit tibi priſca Corinthus,*
*Vrbs Venetum ſignis doctorum ornata Pelaſgum,*
*Dignos qui curru magni iungantur Achillis.*
*Artifices ſummi, quibus haec animare poteſtas*
*Eſt data, Praxitelis ſiue hos induſtria finxit,*
*Phidiacis ſeu ſunt manibus, curaq. politi;*
*Humana uires opus haud imitabile dextra.*
*Sed, quid ego haec multis, cum tot miranda ſuperſint?*
*Ac, primum quod dulcis aquae non copia deſit*
*Vrbi, quae fuſo circumdatur undique ponto.*
*Nam ratibus nautae exceptum, perq. aequora uectũ*
*(Vicatim domuum ciſternis ante recluſis)*
*Medoacum infundunt per cuncta palatia flumen,*
*Cuius non umquam miſcetur dulcis amaro*
*Vnda mari, prohibet coniungi terreus agger,*
*Qui tenet hinc lymphas, hinc ſalſis fluctibus obſtat.*

(Accola

*(Accola vulgari Saſuſinam nomine dicit)*
*Hic ſuperimpoſitas ſibi nautica conſurgentem*
*Ex amne in tumulum ſubducit machina puppes.*
*Quippe uolubilibus rotulis hinc inde locatis,*
*Funibus attractae tereti uoluente Cylindro.*
*Tarde incedentes magno molimine tandem*
*Erepunt per humum ſummi ad faſtigia collis:*
*Duraq. iugo rurſus breue deducuntur in aequor,*
*Vincula ſubuectas retinent; de uertice ſummo*
*In mare praecipites ne per decliue ferantur.*
*Sic, quae debuerat ferratis orbibus eſſe*
*Peruia, ueliuolis fit nauibus hoſpita tellus.*
*Iuppiter o, quanta humana ſollertia mentis,*
*Debita quae ſoluens naturae iura potentis,*
*Efficit, ut montem caua nauiget aluus anhelum?*
*Artifici perfecta manu, & fulgentia gemmis*
*Praetereo ſpecula, & cryſtallina uaſa Morani,*
*Vaſa etiam argento ſculptis cedentia puro;*
*Illa licet magni uel Mentoris arte polita,*
*Zopyreaue manu, uel caelo trita Myronis.*
*Quis te praetereat prudens, tacitumq. relinquat,*
*COLLIO, perpetua digniſſime uiuere fama,*
*Teq. tuis ſileat uirtutibus inuidus, & tot*
*Egregie geſtis praeclaro Marte duellis*

*Pro patria Venetae uindex clariſſime gentis?*
*Vrbis Bergameae clarum decus, inclyta quorum*
*Parua prius magnis ſeſe urbibus aequata lumno,*
*Attollensq. caput coepit ſplendeſcere tanto*
*Belligeri Ducis exortu, & praeſtantibus auſis.*
*Tu magni imperij columen, dum uita manebat,*
*Firmabas trepidas animoſo pectore mentes,*
*Obiectans illuſtre caput plerumque periclis,*
*Et fera pugnaces acuens in proelia turmas:*
*Tantis pro meritis aeterni nominis ergo,*
*Ex aere a Patribus ſtatua donaris equeſtri:*
*Quam tibi uotiuam Paulli magna area ſeruat.*
*Praemia uirtuti uix ſufficientia tantae:*
*Non ingrata tamen patriae monumenta parenti.*
*Illam docta manus fulgenti inſignijt auro,*
*Et ſuper arti artem, decori decus addidit ingens.*
*Quid ſonipes? mandit ſpumoſum dentibus aurũ,*
*Indomitumq. furit, generoſaq. colla reflectit.*
*Acrius aſſurgens animis, frenoq. reluctans,*
*Arduus admorſo fremit, aut fremere ore uidetur.*
*Intentansq. acres oculos, igniq. micantes,*
*Ardet in expletum tumidus, curſumq. minatur.*
*Quem rapiat ſi non preſſis cohiberet habenis*
*Ipſe eques, & duris contunderet ora lupatis.*

*Quid mirum, tanto ſi ſub rector ſuperbit*
*Totus inauratas phaleris, & fronte coruſcus?*
*Talem Pellaeo iuueni, Lyſippe, dediſti:*
*Nimirum magno ſub principe curſibus acer*
*Sic oculos, ſic ferre gradum, ſic ora ſolebat.*
*Sic & Amycleo pernix ſub Caſtore fertur*
*Cyllarus inſultaſſe ſolo, gyrosq. dediſſe.*
*Scilicet eximios ducens ex aere iugales,*
*Tales ſculpſit equos Calamis poſitoq. benignus*
*Praxiteles opus incoeptum ſeſſore peregit,*
*Vt nil rector equis praeclara cederet arte.*
*Cernimus intenſos neruos, uenasq. tumentes,*
*Perpetuo pulſu ſalientes corpore toto:*
*Cernimus incenſum, flexusque, animosq. feroces*
*Sentimus muta ueros in imagine ſenſus.*
*Diſſita ab urbe iacet non longo tramite tellus*
*(Quam Litus dicunt) hanc perſonat Hadria raucus*
*Ore fluentiſono, & crebris ſtridoribus implet,*
*Cum ferus incluſos emiſit carcere uentos*
*Aeolus: & laxis prorumpere iuſſit habenis*
*Quattuor aduerſo luctantes turbine fratres:*
*Quae ſit cincta licet pelago, tamen eius in imis*
*Emanat ſcatebris nitidus praedulcis aquae fons,*
*Cui latices Nereus non intermiſcet amaros,*

*Caſtaq.*

*Caſtaq. non patitur Nais ſibi Nerea iungi.*
*Sic, Artehuſa, tuum ſeruas ſine labe pudorem,*
*Eleae occultos penetrans telluris hiatus,*
*Et fluctus ſubter latitans dulciſſima ſalſos,*
*Dum fugis Alphei te depereuntis amores:*
*Poſt longo (ut fama eſt) tandem reuoluta meatu*
*Purior Electro Siculis illaberis oris,*
*Parte Syracuſias qua ſurgere cernimus arces.*
*Venerat ille dies, quo Chriſtus ab aethere ſummo*
*Virginis intactae caſtam demiſſus in aluum,*
*Vt morte inſonti, fuſoq. cruore piaret*
*Humanas maculas, labemq. aboleret auitam*
*Mortalis uitae poſt non mortalia facta,*
*Deformi, immerita, & crudeli caede peremptus,*
*Morte triumphata, domito diuinitus Orco,*
*Mirando adſcenſu patrium repetiuit Olympum.*
*Illo mane die roſeis ubi lutea bigis*
*Tithoni coniux rutilantia protulit ora,*
*Phoebusq. Oceano currus eduxit Eoo,*
*Haud mora, conueniunt proceres ad Principis aulã,*
*Quem primum ſolito patrum de more ſalutant,*
*Mox pompae accingunt, magna comitante caterua.*
*Ante Sacerdotum graditur longiſſimus ordo*
*Diuinas ſacris mulcentum uocibus aures.*

*Argutae*

*Argutae auditur citharae concentus, & oris;*
*Mox acris lituum ſonitus, clangorq. tubarum.*
*Vexilla ante Ducem diſcreta colore feruntur.*
*Alba notant pacem; bellum, ſaturata cruore*
*Purpureo; nitidum uiolae mentita colorem,*
*Caeruleiue ſali, pacis ſunt ſigna ſequeſtrae.*
*Album inſigne praeit, ſi pax: quod tingitur oſtro,*
*Si fera bella fremunt: Conchyli murice fulgens,*
*Et Veneta ſanie, ad tempus quando arma quieſcunt,*
*Vtq. ſibi praeeunt, uariantia tempora ſignant.*
*Praeterea uideas Ducibus data munera quondã*
*Pontifice a ſummo, ſellam, puluinar, & enſem,*
*Vmbellamque, auro rutilantia ſingula puro.*
*Tum demum ſimili circumradiante metallo*
*Ornatus trabea, & prolixo ſyrmate Princeps,*
*Carbaſeoq. ſacram cinctus uelamine frontem,*
*Purpura quod fuluo decorat circumdata limbo*
*Auerſa cornu referens in parte recuruum,*
*Regum Oratores inter, grauitate ſerena*
*Incedit medius, proceres quem pone ſequuntur,*
*Incaniq. patres, urbis decora alta ſuperbae,*
*Ceteraq. Auguſti ſeries delecta Senatus.*
*Proxima magnifica ducunt ad litora pompa,*
*Induti infectas iterato murice ueſtes,*

*Hi*

Hi molli Aethiopum in ſiluis e uellere carptas,
Depexas alij Scythicorum ex arbore ſerum,
Quas Arabum dicas bombycum tenuia fila.
Arte laborata, & uarijs diſtincta figuris:
Ars mira, & ueteri non umquam cognita ſaeclo:
Vt nec tam tenues deducat aranea telas.
Vt litus tetigere maris, portumq petitum,
Ilicet Hadriacam conſcendunt pontibus Argo
Vrbis opus (Graio de nomine Bucentaurum)
Dux, & Patricij, Regumque, Ducumq. potentum
Legati illuſtres pars non ingloria coetus.
Nec mora, conſidunt tranſtris quino ordine nautae,
Proniq. adductis findunt uada ſalſa lacertis
Remorum aequato libramine, & aequora uerrunt
Certatim, uerſo caneſcunt marmore fluctus,
Et diducta crepant ſtridenti caerula roſtro.
Tum procul ex oculis oblata recedere tellus,
Summaq. celſarum rareſcere tecta domorum,
Nec non aeriae ſenſim ſe abſcondere turres.
Neu tantum haec audita putes, ea uidimus ipſi
Bucentaure tuum admiſſi conſcendere tergum,
Eximioq. Duci, & ſelectae accreſcere turbae:
Namque illo comitem ſecum me duxerat una,
Magnus apud Venetos tunc PELLICERIVS, ille
Fran-

*Franciſci Orator, uirtute, ac nomine primi,*
*Liligerae qui tum ditionis ſceptra gerebat.*
*Hinc doctum ſaeuo coniungens Pallada Marti*
*Ornarat ſacra Legati tempora mitra,*
*Doctrinam claro compenſans munere; quamquam*
*Praemia uix eſſent meritis aequalia: quippe*
*Facunda Venetum flectit dum uoce Senatum,*
*Tot curas inter, medicae non immemor artis,*
*Sacratae Phoebo praeſul digniſſimus urbis,*
*Cunctarum uires herbarum, & nomina mille,*
*Quotq. ſub immenſo piſces alit aequore Nereus,*
*Mandabat doctis tot rerum abſcondita chartis;*
*Naturae atque ſuo praeſtans pia munia Regi.*
*Gallorumq. ſimul tollebat ad aethera nomen,*
*Seque, ſuosq. lares proprio decorabat honore,*
*Squamea ſubijciens oculis nouus agmina paſtor.*
*Centauro inuehitur magna Dux ipſe, Senatusq.*
*(Hinc atque hinc illam gemina ſtipante triremi*
*Ad ſubitos motus armisque, uirisq. referta)*
*Agmine remorum: donec rumore ſecundo,*
*Auſpicibusq. Deis tandem delatus in altum eſt.*
*Conſiſtit pinus preſſas ubi ſenſit habenas:*
*Dente uelut fixo firmam tenet anchora nauim.*
*Implorant ſuperos, ut ſint felicia uincla*

Con-

*Connubij ſtabilis Neptuni numine amico.*
*Finitis precibus, cunctisq. fauentibus ore,*
*Stans celſa in puppi Princeps grauitate uerendus,*
*Summis ſplendentem digitis, ſimilemq. cadenti*
*Oſtentans auro concluſam diuite gemmam,*
*Haec ait:* IN SIGNVM IMPERII VERI, ATQ. PERENNIS
*(Nam memini, atque animo ſollemnia uerba notaui)*
HAC GEMMA AETERNVM MIHI TE DESPONDEO DORI
*Quae rata Rex pelagi nutu connubia firmat.*
*Huncq. ſibi generum Thetis emit omnibus undis*
*Principis e manibus cum dicto emiſſus amaras*
*Anulus intrat aquas; nautarum turba natandi*
*Conſulta inſequitur, ſcrutatoresq. profundi*
*Proelia pro iacto miſcent ſub fluctibus auro.*
*Sic ubi uenator deprenſi uiſcera cerui*
*Quem clamore premens, carnibus ad retia pulſum*
*Strauit humi multo fundentem ſanguine uitam,*
*Euge, euge ingeminans, canibus partitur anhelis,*
*Illi inter ſeſe certantes rapta reuellunt*
*Mordicus: & roſtro diſcerpunt fruſta cruento,*
*Obnixe ardentes, uillisq. horrentibus urgent.*
*Vrinatorum certamine pulſa reſultant*
*Litora: iuncta premit cymbā ſibi cymba propinquā,*
*Et ſub contiguis latet aequoris unda phaſelis.*
*Anti-*

*Antiqui ritus (neque enim leuis huius origo eſt)*
*Pluribus ignotam ſi uis cognoſcere cauſſam,*
*Expediam paucis, ne res ludicra putetur.*
*Praeſul* ALEXANDER *Romanae tertius urbis,*
*Aeneobarbi armis ſolio depulſus ab alto,*
*Quo fugeret dubius, cui ſe committeret Orae,*
*Prae reliquis ueterum prudens elegit aſylum.*
*Illinc certa ſalus profugo, & uictoria fuſis*
*Hoſtibus a magno nauali Marte* CIANO,
*Quo duce captus Otho Federici Martia proles*
*Captiuas gemuit mergique, trahiq. triremes*
*Quadraginta octo, diſiectamq. aequore claſſem:*
*Et ſe magnifico duci potuiſſe triumpho.*
*Excepere Ducem feſtis applauſibus omnes,*
*Et reducem amplexi, uerſis ad ſidera palmis,*
*Supremo grates meritas egere Tonanti,*
*Qui ſcelerum uindex inſanos fregerit auſus.*
*Tum pius Antiſtes, grato ſpectabilis ore,*
*Inclyte Dux, inquit, ſi quod nomenque, decusq.*
*In terris gerimus, nobis auctoribus iſto*
*Pignore (de ſolido pignus fuit anulus auro)*
*Deſponſa caram Superi Maris Amphitriten.*
*Annuaq. inſtaurent uenturi pacta nepotes.*
*His pelagi imperium ſponſalibus accipe dextro*
*Sidere,*

*Sidere, ſitq. tuae uirtuti reddita merces.*
*Dixit: & obteſtans Diuos rata uota precatur.*
*Foedere percuſſo, celebratis rite Hymenaeis,*
*Ilicet obuerſi, tendunt ad litoris oram*
*Diui Nicoleos inſignitam nomine, & aede*
*Antiqua ſaxo longam teſtante ſenectam.*
*Hic Venetus uitta crines circumdatus alba*
*Publica uota facit ſummo Patriarcha parenti.*
*Mox fuſis precibus, ſacrisq. ex more peractis,*
*Ingentem repetunt Centaurum Duxque, Patresque,*
*Lectorumq. cohors comitum: freta caerula torquent.*
*Protinus adnixi magno conamine nautae*
*In lento ualidos curuantes aequore remos:*
*Hinc rauco fremitu praefracta remurmurat unda,*
*Dum ſibi reſpondent parili moderamine tonſae.*
*Vncta uagis abies celeri pede labitur undis,*
*Non tam praecipiti per plana, per ardua, curſu*
*Corripuere uiam repetita in uerbera proni,*
*Dulcis Olympiacae tetigit quos gloria palmae:*
*Nec ſic raſit iter rapidus Schaeneia plantis,*
*Alite nec curſu uictor Megareius heros.*
*Incipiunt humiles ſenſim ſe attollere turres,*
*Vrbs aperire ſinum, propiusq. accedere moles.*
*Tum portu accepti repetunt regalia tecta,*

*Tecta*

*Tecta renidenti ſplendentia marmore, & auro*
*Ignibus aethereis rutila certantia luce.*
*Interiora domus uarijs animata figuris*
*Heroum expreſſos uideas oſtendere uultus.*
*Hic bellator equus* GRITTO *ductore ſuperbit,*
*(Quo non Dux melior, quo non generoſior alter)*
*Colla mouens animoſa, iubasque, & pectora lata,*
*Ingentesq. animos ſpirat, toruumq. tuetur*
*Feruidus, & magnos Bellonae accinctus in uſus.*
*Hic terreſtre, illic ingens nauale duellum,*
*Tranſtra & apluſtra ſimul, ſimul & fluitātia paſſim*
*Fragmina ruptarum conſpeximus antennarum.*
*Conſertasq. illic acies decernere ferro:*
*Scuta uirum, galeasque, & corpora trunca iacere;*
*Hic fugit, ille premit ſaeuos magno impete Turcas:*
*Iſtic uictor agit uicta de gente triumphum,*
*Captiuos manibus ducens poſt terga reuinctos.*
*Parte alia ecce Ducum effigies ex ordine ductae,*
*Quae Coi dextra pictae credantur Apellis;*
*Quin illas uires ſpirare, & ueſcier aura.*
*Indita cum titulis ſua nomina cuique leguntur.*
*Sed (quam conſpicies uacuam, & ſine imagine ſedē*
*Triſte notat facinus diro uiduata Tyranno:*
*Quippe tibi,* FALERI, *caput a ceruice reciſum eſt.*

Auſe ſacram infando affectare Tyrannida niſu.
Fruſtra (namque oculis cernit Deus omnia triſtis)
Ergo ſacrilego ſoluiſti ſanguine poenas.
Picturae, tituliq. Ducum ſpoliatus honore:
Ne ſanctos inter proceres ſpectata, nepotes
Vlla tuos tacito monitu foedaret imago,
Si tam immane nefas impune nepotibus ijſſet.
Sic pereat quicumque uiam tentarit eandem;
Siue quod optandum potius procul hinc procul omnis
Tale quid auſuros exemplum hoc arceat unum.
    Viuida magnificum Heroum iuuat ore tueri,
Nec ſemel, atque iterum: quo plus ſpectaris, eo plus
Spectandi retinet cupidum te cura: peritam
Subduxiſſe manum dicas ea corpora Morti:
Singula tam ueris ſpirant animata figuris?
Sic reparat uiuo Zephyritis prata colore,
Atque noui primos diſpenſat ueris honores
Feta bonis caeli, caelo cum lapſus ab alto
Iuppiter infuſus gremio telluris amatae
Impleuit tumidis grauidam genitalibus aluum.
    Regia Panchaeis exhalat odoribus aula,
Et nitet aulaeis hinc inde ornata ſuperbis,
Daedalea quae picta manu Memphitide in ora.
Nobile ridet ebur ſolijs, interlita fulgent
Argento,

Argento, atque auro laquearia, pocula menſis
Cryſtallo conflata micant, & nectare inundant,
Quod fecunda mero tranſmittit Creta quotannis,
Creta potens opibus, centumq. habitata per urbes,
Et patria, & magni cunabula prima Tonantis.
Quam Superi Venetis ſtatuerunt addere ſceptris.
Iamq. dies medius: ſolio ſublimis in alto
Dux ſedet accumbens menſae regaliter unus:
Legatos niſi cum tanto dignatur honore.
At proceres, Patresq. ſimul diſcumbere iuſſi,
Exſpectant alijs ſollemnia fercula menſis.
Dant famuli manibus tenues e fontibus undas,
Barbaricisq. ferunt mantilia texta figuris.
Protinus ecce tuas blande qui mulceat aures
Praecidit fidicen: procedunt pone miniſtri,
Portantes plenas epulis longo ordine lances.
Structores in fruſta ſecant, & ſecta reponunt
Fercula quiſque ſuis dominis: hi corpora curant
Appoſitis dapibus grandi non aere paratis.
Vſque adeo gaudet facili gens ſobria uictu.
Interea attentas blando modulamine mentes
Concentus uarij oblectant, quibus aula reſultat.
Poſtquam epulis, Bacchoq. fames exempta, ſitisque,
Appoſitas properi menſas mouere miniſtri.

*Mox noua ſubſequitur laeto Comoedia uultu,*
*Mox orcheſtra Patrum, cuneique, foriq. replentur,*
*Et perſonati ſubeunt proſcenia Mimi,*
*Qui plena effuſo quatiunt ſubſellia riſu.*
*Roſcius ipſe oculos geſtu, multoq. lepore,*
*Et ſalibus miris illectas detinet aures:*
*Deluſasq. hominum curas, & tempora fallit;*
*Spectantum laetus diducens ora cachinnis.*
*His reliquam ſoliti ludis abſumere lucem.*
*Tres & quinque dies qui deinde ſequuntur ab illo,*
*Mercibus impendunt ultro citroq. parandis.*
*Vndique collecti uarijs e partibus orbis*
*Certatim huc properant: hic & ſeptemplicis Iſtri,*
*Tigridis & longe rapidi, Tanaisq. niualis,*
*Et ſeptemgemini non defuit accola Nili:*
*Diuiſi penitus toto licet orbe Britanni,*
*Quippe ſub Arctoi naſcuntur ſideris axe,*
*Queis totum uenit una dies, nox una per annum:*
*Tum quibus informes medius Sol denegat umbras,*
*Et quos emergens pelago deſpectat Eoo,*
*Quosq. cadens currum dum gurgite tingit Ibero,*
*Concurſu agglomerant magno, coetuq. frequenti*
*Inter ſe exercent commercia mutua rerum.*
*Non aliam ob cauſſam mundi commune uocatur*
*Empo-*

Emporium, Venetaq. orbis ſpectatur in urbe.
Eloquar, an potius ſileam Nauale ſuperbum?
Quale nec aetatis uiderunt ſaecula priſcae,
Cui ſeptem celebrata olim miracula cedant.
Non vrbis Venetae columen ſolius, at arcem,
Et magnae Heſperiae decus admirabile uiſu,
Sed dictu res digna, loquar: quantumq. licebit,
Viribus exiguis ingentia pondera tollam.
Nunc mihi maius opus Muſae adſpirate mouēti
Carmen ad extremam mecum deducite metam,
Difficilesq. uias, caligantesq. receſſus,
Nulliusq. ſolo tritos oſtendite calles.
Hoc Nauale ſitu iacet appellentibus apto,
Apto etiam e portu repentibus aequora nautis,
Et cinctum pulchre turritis undique muris.
Exundantis aquae circumdatur aequore fuſo,
Atque ſinu terno fluctus maris excipit alti
Ore patens uno: gemina quod turre ſuperbit
Perpete praeſidio tutum, multaq. uirum ui,
Nec non ferrato calathratis obijce portis:
Sublicio iungens duo propugnacula ponte,
Quae ferit indignans refluis feruoribus aeſtus.
Terna quoque in triplices diuiſa trichora receſſus
Apparent alte regali condita ſumptu.

*Ingreſſus uideas hinc atque hinc, plurima tecta,*
*In quibus artifices uarij, uarijq. labores.*
*Pars texunt funes, tranſennas, uela, rudentes,*
*Pars fabricat tonſas, malos, carcheſia, apluſtra;*
*Roſtratas alij naues, longasq. triremes,*
*(Quamuis porticibus multae ſpectentur in amplis*
*Seruatae ſubitos inopini Martis in uſus)*
*Omnigenasq. rates: alij noctesque, diesque,*
*Armorum omne genus ſcabra rubigine terſa,*
*Perpoliunt, renouantque, reconcinnantq. quotannis;*
*Ordine quae pulchro diſtincta, locoq. decenti*
*Collucent longe, lateq. capacibus aulis.*
*Nec Deus ignipotens magno ſudata Gradiuo,*
*Supremoq. Ioui quondam tot ſcuta, tot enſes,*
*Tot galeas, tot tela locum digeſſit in unum;*
*Quot Martis memores, illic prouiſa reponunt,*
*At parte ex alia maſſa candente Cyclopes,*
*Neptuni ſoboles, opera ad fabrilia ſudant,*
*Nudi exercentes ferrum; pars utribus Euros*
*Includunt, grauidisq. emiſſa follibus aura,*
*Vulcani exacuunt acies, irasq. laceſſunt,*
*Dura ut molleſcant ardentibus aera caminis.*
*Incudi incumbunt alij, (nam Mulciber ipſe*
*Edocuit partitus opus, manuumq. laborem)*

*Alte*

*Alte attollentes multa ui brachia, lentam:*
*In numerum alterno contundunt uerbere maſſam.*
*Illa gemens crebros effert ad ſidera planctus.*
*Et grauiter contuſa ſimul, ſimul ingemit incus:*
*Clara repercuſſae reſponſat uocis imago.*
*Stricturae abſiliunt, ſcintillis finditur aer,*
*Inde ſerenato praetextunt nubila caelo,*
*Eripiuntq. oculis proſpectum ardentis Olympi,*
*Dũ calidũ in gladios chalybem, Phrygiasq. per artes*
*In clypeos habili uerſantes forcipe curuant.*
*Hi galeas cudunt, hi Gorgonis Aegidas ore*
*Terrifico, liquidis auri, electriq. metallis*
*Conflant: & tortos innectunt crinibus angues:*
*Stridulaq. aera lacu tingunt, auroq. decorem*
*Addentes poliunt: illis multa anchora ſurgit;*
*Haec gemino, triplici mordax dente illa minatur,*
*Quadrifidaeq. aliae tunduntur acumine curuo.*
*Spicula mille rubris fornacibus ignea candent,*
*Roſtra quoque ignifluis exundant feruida riuis.*
*Haud procul arte noua, nec certo auctore reperta*
*(Hunc quamuis quidam Libin cognomine dicant)*
*Plurima Sicanijs ueluti formata caminis*
*Longa terebrato fabricatur machina ferro,*
*Extra, intraq. leui formata, politaq. torno,*

A claro Sclopi cognomen adepta ſonore.
Fiſtula letales rutilae per fulgura flammae
Diſcutiens glandes numeroſae grandinis inſtar,
Fulgore crebra micans, tonitruq. horrenda frequenti,
Stant pauidae mentes, fragor aurea ſidera pulſat.
Hic etiam rapidum tandem liquefacta per ignem
Immenſi Cyprio funduntur ponderis aere
Tormenta; ignitis (aurem exſurdante fragore
Terricrepo) immanes uomitura e faucibus orbes,
Queis aequanda ſolo quatiantur moenia, & arces.
Illuc Aeolijs uicinum rupibus antrum
Vulcani, Siculo tranſlatum ex aequore dicas.
Parte alia locus eſt muris circumdatus altis,
Et ſecretus aquis, & longe diſſitus omni
A tecto, ne quando acies Vulcania (ſi fors
Ingruerit) late ſerpat, confletq. periclum
Vicinis domibus, glomerante incendia uento,
Proximaq. ardenti ſubito accendantur ab aeſtu;
Ceu ſtipulae in campis, celſiſue in montibus orni.
Illic ſepoſitus (fiducia maxima belli)
Seruatur puluis, ſeu forte repellere uim ui,
Seu bello hoſtiles uiſum eſt inuadere terras.
Attamen obſcura eſt, & adhuc incognita multis
Materia, atque modus miſcendi pulueris atri.

Hanc

*Hanc artem ne ſorte Erebi de uallibus imis*
*Emerſiſſe putes, memorabo, quae ſit origo.*
*Ingenioſa cohors, inuenti, gnara recentis,*
*Viuaci adijciunt niueum cum ſulphure nitrum,*
*Hisq. addunt ſalicis carbones, ſiue colurnos,*
*Quos reliquis miſtos, nec non fluuialibus undis*
*Ante ſuperfuſos, piſtillo terque, quaterq.*
*Iligno (ne concipiant ex ictibus ignem)*
*Contundunt, ſubitas flammis uelocibus eſcas,*
*Contritosq. diu ſuper acribus ignibus aſſant.*
*Quin potius (nam tutius hoc, expersq. timoris)*
*Exſiccant medij feruentem ſolis ad aeſtum:*
*Praecipue torrens findit cum Sirius arua,*
*Herculeusue Leo ſitientes urit ariſtas.*
*Is uarios puluis belli eſt inuentus in uſus.*
*Nam, ſternenda urbis ſi quando moenia, & altae*
*Momento quatiendae arces, quibus imperet hoſtis;*
*Seu miſcere acies iuuat, & committere pugnam:*
*Tum uero priſcis Aries inuentus, adacto*
*Quamtumuis ſolidos labefactans uerbere muros,*
*Ferreaq. immanes torquens baliſta molares,*
*Vel praepilatas iaculans catapulta ſagittas,*
*Vel formidandus letali ſcorpius ictu,*
*Falcati ue illi bellorum ad munia currus,*

*Per-*

*Pernicies hominum, & certiſſima peſtis equorum*
*Credita: cum Graios Perſes inceſſeret armis:*
*Quae tulit in caelum, & ſuſpexit longa uetuſtas;*
*Deſpuit haec aetas, atque artes ridet inertes.*
*Nempe laboratus multis longe ante diebus*
*(Dum tribus his conſtet, nitri quadrante, ſaligni*
*Carbonis ſextante, & uiui ſulphuris uncia,*
*Edit tartareus diſploſa tonitrua puluis:*
*Quem cauus iniectum, dimenſo pondere, truncus*
*Aeneus excepit, leuis haec nec cura pericli eſt.*
*Parcior, in fumum, & flammas uaneſcit inanes*
*Futilis, & telum emittens imbelle ſine ictu.*
*Amplior, horriſono rumpit tormenta fragore,*
*Artificesq. ſua uindex ferus opprimit arte,*
*Sollertes tractare docens ſollertius artes.*
*Haec igitur, ne erres faciet te regula cautum.*
*Tormenti ad Sphaeram proportio ſit tibi ſemper*
*Centuplex, & glans, & puluis pondere quadrent,*
*Qui prior impoſitus fundo ſubſidit in imo,*
*Atque in ſe teretis piſtilli uerbere crebro*
*Contrahitur cuſus, pila tum ſuper additur (olim*
*Saxea) de ſolido poſt experientia ferro*
*Extudit: e miſto conflat nunc mollius aere.*
*Ipſa interna pilae praecluditur obijce fornix*

*Balli-*

*Balliſtae: premiturq. nouo ſub pondere carbo.*
*Parte tubi extrema (quod lumina fallere poſſit)*
*Exiguum eſt, rectumq. ſagaci ex arte foramen*
*Intima pertingens: huc puluis rurſus, at alter*
*Isq. diu talem ualde tenuatus in uſum,*
*Per foculum immiſſus magno ſe corpore miſcet,*
*Qui tenuis penetrat grauidae intra uiſcera molis.*
*Tum foculo admotus, quem pertica detulit, ignis,*
*Anguſtaq. uia demiſſus in ilia trunci,*
*Sulphuris aggeſti cumulum cito corripit omnem.*
*Protinus ecce cauo cum fulgure flumen aheno*
*Emicat irati citius Iouis igne triſulco*
*Erumpens, paſſimq. ſibi quaeque obuia frangit.*
*Concita terribili magnum tonat aethra fragore,*
*Horrifico crepitu tellus tremefacta remugit,*
*Sic ubi commoto grauiter ſuccenſus Olympo*
*Iuppiter intonuit ſaeuorum in bella Gigantum,*
*Qui temere infeſtis caelo ſe opponere ſignis*
*Tentarunt: ſolioq. ipſum detrudere ab alto:*
*Cum rutilum offenſo uibrauit ab aethere fulmen.*
*Terra tremit, tremit altarum regnator aquarum:*
*Diſſiliunt illo percuſſi turbine montes:*
*Haud aliter feta illa furentes euomit aeſtus,*
*Immerſosq. caua regerit de fornice glandes,*

*Quae*

*Quae proſternendis admota eſt machina muris.*
*Continuo ueluti concuſſae fulmine turres*
*Labuntur, ſubitamq. pilis dant quaſſa ruinam*
*Moenia; & immane late hostibus ore pateſcunt.*
*Si uero conferre manum, Martemq. ciere*
*Incipiant acies; campo certamen aperto*
*Vis ea diſturbat confertos una maniplos,*
*Vna graues cuneos perrumpit fortius ictu*
*Fulmineo: & totas uno ruit agmine turmas.*
*Fortis, & ignauus nullo diſcrimine aguntur,*
*Trunca uolant hominum, lacerata rotantur equorum*
*Corpora, uicinam ſpargentia ſanguine terram,*
*Hic caput, ille pedes, hic brachia ſaucius, ille*
*Dimidius rapitur, telum ille uolubile totus*
*Excipit imprudens, uacuumq. per aera fertur.*
*Ille lacer nulli perit agnoſcendus amico.*
*Ipſi etiam diſiecti artus, abreptaq. membra*
*Late edunt ſtragem uiuis illiſa; ſuosq.*
*Diſturbatae acies ſternunt, direq. trucidant*
*Effractis moriens diſuerberat oſſibus ora*
*Vicini comitis, flent lumina maeſta peremptum,*
*Pro lacrymis atro miſere ſtillantia tabo.*
*Tela homines fiunt, peraguntq. cadauera pugnam*
*Cadmeam: pereuntq. ſuis denſa agmina telis.*

*Aequales*

*Aequales Superis faciunt haec fulmina Reges.*
*Quis uero hāc genius mirandam repperit artem,*
*Antiquis fuerat quae numquam cognita ſaeclis?*
*Unde illi indomitae tanto cum murmure uires?*
*Nunc age tam rapidi cauſſam tibi fulminis, & uim*
*Expediam: penitusq. artis ſecreta recludam.*
*Non parit (ut perhibent) iſtos diſcordia motus*
*Diſſidio calidi cum frigore; frigida quamquam*
*Vis nitri, nitroq. repugnet ſulphuris ardor.*
*Longe alia eſt ratio, quae tantas aggeret iras,*
*Ignitis ſolidos eructans faucibus orbes*
*Fulminis aetherei pernicibus ocius alis.*
*Quattuor a prima naſcentis origine mundi*
*Corpora ſimplicibus conſtantia ſingula formis*
*Diuerſis concreta locis Natura creatrix*
*Semina cunctarum fecit communia rerum.*
*Quae licet ex omni contraria parte repugnet,*
*Inq. uicem enixe luctentur, ut ignis, & unda;*
*Aerque, & tellus: medijs tamen uſque cohaerent.*
*Frigus aquam terrae ſociat, liquidiſſimus humor*
*Aera iungit aquae, calor aera copulat igni,*
*Ariditas autem terrae communis, & igni eſt.*
*Sic ſimul inter ſe diſcordi foedere pacem*
*Perpetuam ſeruant, & in omnia corpora migrant*

*Frigi-*

*Frigida cum calidis coeunt, humentia ſiccis*
*Temperie iuſta, totum quae continet orbem.*
*Quattuor ex illis componi, & in illa reſolui*
*Cuncta cauo quaecumque iacent ſub ſidere Lunae.*
*Narrauere Sophi: quin & mutarier ipſa,*
*Inq. uices alia ex alijs elementa creari.*
*Non ut tota quidem intereant, (nam funditus omnis*
*Vna corrueret diuulſi machina mundi)*
*Sed pars unius partem mutatur in unam*
*Alterius: certo ſic uoluunt ordine cauſſae.*
*Ignis enim tenuis, ſummoq. admotus Olympo*
*Finitimum ſenſim denſatus in aera tranſit:*
*Hinc in aquas itidem ſpiſsatus uertitur aer:*
*In uicinam humor gaudet craſſeſcere terram.*
*Terra autem grauis, atque in ſe compacta uiciſſim*
*Soluitur: & tenues reſoluta liqueſcit in undas;*
*Aeraq. in tepidum tenuatus uertitur humor:*
*Rurſus it in ſuperos aer tenuiſſimus ignes.*
*Nec uero aequalis remanet menſura priori.*
*Nam terrae pars una in aquam mutata decuplo*
*Creſcit: nempe decem dat aquae, centum aeris, ignis*
*Mille. ſed & decuplo contra fit ſpiſſior ignis*
*Aere mutatus, centuplo denſior unda,*
*Millecuplo tellus. Sic in ſe mutua migrant.*

*Parti-*

*Partibus ergo decem tellure ſit artior unda:*
*Humorem uincit centum quoque partibus aer:*
*Millenis aer rutilo ſuperatur ab igne:*
*Mille igitur terra maior ſit partibus ignis.*
*Atque ideo natura ſagax, & prouida rerum,*
*Terram conſtituit punctum: quam circuit unda,*
*Vndamaer; uaſtum longe aera uaſtior ignis.*
*Sic igitur tellus in aquam liquefacta neceſſe eſt,*
*Rarior ut creſcat, creſcat quoque rarior unda,*
*Cum circumfuſo tenuatur in aera fumo.*
*Id facile e multis liceat cognoſcere: namque,*
*Seu uiride accenſo lignum ſuggeſſeris igni,*
*Siue ſuperfuſo paleas humore madentes,*
*Siue coquat ſilices fornax calcaria; longe*
*Materiē exſuperans uapor aethera fertur in amplū.*
*Sic ſuſpenſa foco patitur dum lympha calorem*
*Suppoſitae flammae fundo exundantis aheni,*
*Creſcit inexhauſtum, neque ſe capit intus aquae uis,*
*Alte inſurgentem quam feruidus exſpuit ardor.*
*Nam bona pars uolat in tenues euanida fumos*
*Maiores multo, quam totum corpus aquai:*
*Humor in exſilem diſſoluitur aera fuſus*
*Centuplicem, calidumq. aer calidatur in ignem*
*Centenis decies confeſtim partibus auctus.*

*Sic,*

*Sic, ubi repleta eſt quouis ampulla liquore,*
*Si rapidum ante focum ſtatuatur operta; repente*
*In fruſta exſiliet; uel opercula tollet in altum,*
*Ardentem ſimulac in ſe conceperit aeſtum.*
*Ignis enim poſtquam penetrauit in intima teſtae*
*Acrior, & totum corpus feruore repleuit:*
*Auget in immenſum concluſum uaſe liquorem:*
*Qui ſibi dum ſpatium ſolito petit amplius, intra*
*Perfurit; & quaecumque uiam claudentia uincit.*
*Adde etiam, quod, ſi fuerit tibi forte lagena*
*Stannea, gibboſa introrſus, curuataq. caſu,*
*Colliſu ue graui primam turpante figuram;*
*Illam doctus eris uino complere recenti,*
*Osq. probe ſtupa, ac uinclo ſtipare tenaci;*
*Conſtrictumq. aliquot muſtum ſic bulliat horas:*
*Hoc aequam, & nullo turgentem tubere reddet,*
*Artificisq. uelut manibus reparata redibit.*
*Nempe ſuo pulſans, complanansq. agmine foſſas*
*Igneus intus agit uapor, & caua uulnera ſanat,*
*Quae prius illiſae fuerant inflicta lagenae.*
*Saepe quoque adſpicias feruentia muſta calore*
*Ingenito furere: & ſua dolia pellere ad auras*
*Omnibus effreno compagibus impete ruptis.*
*At, ſi excreſcentem Siphone exire uaporem*

*Iuſſe-*

*Iuſſeris exiguo; cernas ceſſaſſe furores,*
*Protinus ut preſſas diſperſit in aere uires.*
*Vſque adeo uis illa negat ſe carcere cogi.*
*Nõne uides etiam refluos tumidi aequoris aeſtus*
*Feruere; & a fundo conſurgere uaſtius imo,*
*In mare fraternas regerit cum Cynthia flammas*
*Aduerſos radijs uultus oppleta coruſcis?*
*Aſt, ubi Phoebaeo defecta calore refrixit,*
*Mitius irati incedit uiolentia ponti.*
*Et rabies hiemis ſenſim ſedata reſidit.*
*Dixerit hic aliquis, cur non ſol igneus, ipſe*
*Hunc potius iaculis ardentibus excitat aeſtum,*
*Et feruore ſuo feruorem accendit aquarum?*
*Spicula Titani, Dictynnae umbone repulſa*
*Mucronem agglomerant, acuuntque: coitio uires*
*In conum iunctas geminans impenſius ardet.*
*Artibus haud alijs quoties ſacer omine laeuo*
*Exſtinctus fuerat Veſtalis, uaſe cauato,*
*Oppoſito ad Solem, collectus claruit ignis.*
*Hoc, quia maiorem uirtus cumulata facit uim,*
*Idq. cauum expertis (uulgo quod dicitur ardens)*
*Monſtrauit ſpeculum: pyrij quippe urit aceruum*
*Pulueris: at rectis numquam Sol ipſe ſagittis;*
*Quae niſi concurſu nequeant incendere facto.*

*Ergo repercuſſus Lunae ſic acriter urget,*
*Bullire ut cogat Neptunum a ſedibus imis:*
*Atque ſequi uarios curſus, uariosq. recurſus,*
*Idq. etiam nullis pelago incumbentibus auris.*
*Adde, quod ardeſcens ignis natura, profundi*
*Euocat humorem, minuitque, & tollit in altum.*
*Nam calida exſiccant ferme omnia. Delia contra*
*Humida quaeque ſuo dilatat lumine, & auget,*
*Quod liquido in conchis, humano & corpore conſtat.*
*Sicca etiam replet, cum plena eſt oſſa medullis;*
*Cumq. eadem a nobis abſcedit, inania linquit.*
*Sic Phoebi, & Phoebes miſta ui perfurit aeſtus.*
*Puluereus ſed dum cumulus tranſmigrat in ignẽ,*
*Turget in inſtanti millenis partibus auctus.*
*Cur autem incaſſum tam longe exempla petãtur?*
*Res facit ipſa fidem: granum ſi pulueris unum*
*Exiguum, ut milij, uicino admoueris igni,*
*Molem implere nucis granum miraberis ardens.*
*Nam rara, & tenuis (Phyſicis ſi credere fas eſt)*
*Materies ignis ſpatium multo amplius implet,*
*Quam terra, & puluis; ſolido quae corpore conſtant.*
*At contra decies ſi mille cadauera terrae*
*Mandentur; tellus nulla hinc tamen augmina ſentit.*
*Illa etenim furtim redeunt in corpora prima,*

*E quibus orta prius. rerum ſic uertitur ordo.*
*Heu teſtis nimium locuples exſanguia quae tot*
*Nuper apud Druidas ſepeliſti corpora tellus.*
*Hic ſubitum, & celſo ſuperantem uertice montes*
*Confuſae infelix cumularas ſtragis aceruum,*
*Manſurum atrocis monumentum in ſaecula pugnae,*
*Cum ſeſe armarent in mutua uulnera ciues,*
*Vndantiq. tuas implerent ſanguine ualles:*
*An ne erat, ut noſtro fieres fecunda cruore?*
*An ne erat, ut noſtra turgeres aucta ruina?*
*Hei mihi, quot natos orbaſti patribus? & quot*
*Vxores caeſis uiduaſti ſaeua maritis?*
*Natos ah miſeros, miſeras ſine coniuge matres?*
*Nunc ubi mons tanta tumefactus clade tuorum?*
*Detumuit, ſenſimq. ſuum ſubſedit in aequor;*
*Vt tumuli iam nulla noui ueſtigia reſtent.*
*Tu uero ſapiens fruſtra olim credita, ſed nunc*
*Gallia caeca, amens, in te crudelior hoſte.*
*Siccine paſſa tuos paribus concurrere telis,*
*Exitiumq. tibi furiali Marte parare?*
*Sit ſatis indomito ſemel indulſiſſe furori,*
*Sitq. ſatis peccaſſe ſemel, ſemel & periiſſe.*
*Diſce tuis (quamquam ſero) reſipiſcere damnis.*
*O te feciſſent aliena pericula cautam.*

*Ne Galli, ne dira animis aſſueſcite bella,*
*Neu ueſtra immiti diſcerpite uiſcera dextra;*
*Arma, ſed externos ciuilia uertite in hoſtes,*
*Vertite, ad Herculeas extendite regna columnas,*
*Extremosq. hominum Morinos, axemq. rigentem.*
*Hoc in amicitiam coeatis foedere iuncti,*
*Ne fratres iterum fraterna caede cruentent,*
*Commaculentq. manus, & inundēt ſanguine foſſae.*
*At nos quo patriae pietas rapit? orſa ſequamur.*
*Nitrum ergo, & uiuo miſtus cum ſulphure carbo*
*Terrea materies, tuaq. unica, puluis origo,*
*Tota, ſimul uixdum candenti attacta fauilla,*
*Vertitur in ſubitam praegrandi corpore flammam*
*Corpore ab exiguo. ſic iam quae terra prius ſe*
*Anguſto contenta loco denſata tenebat,*
*Nunc ignis; ſibi mille locum mage partibus amplum*
*Dilatata rapit momento temporis uno.*
*Vndique cincta cauo, quo circum includitur, aere:*
*Luctatur, cupiens erumpere, ſi qua uiam uis*
*Inueniat: furijsq. obſtantia frangere clauſtra;*
*Sed nequit ipſa ſuas in latum extendere uires.*
*Craſſities immanis obeſt, & claudit ab ima*
*Parte uiam: ſupereſt ergo unica, ferreus orbis*
*Qua trunco iniectus fauces obturat hiantes:*

*Hac*

*Hac quia debilior ſit obex, ſe effundit in auras,*
*Obiectamq. pilam, quam fornix ſola coercet*
*Ingenti, ſupraq. fidem procul agmine pellit*
*Aridus it caelo ſonitus, totumq. reuelli*
*Attonitus credas emotis ſedibus Orbem.*
*Quid mirum, cum feta animae ueſica tumentis*
*Det querulum diſploſa ſonum quo territat aures?*
*Cum gemitum diſrupta grauem membranula mittit.*
*Non ne abſorpta fremunt reuomentes flamina folles?*
*Non ne linquet tumidas ſcolpos elidere buccas,*
*Exploſo quoties erumpit ſpiritus ore?*
*Vt ſtrepitant rami uento impellente ſonantes,*
*Qui (mirum) quandoq. ignem luctamine gignunt,*
*Vt gelidis candens lacubus cum tingitur enſis*
*Stridit, & ex alto ueluti ſuſpiria ducit,*
*Vtq. fit in caelo fremitus cum nubila Cauri*
*Perflant, & terras uiolento turbine uerrunt;*
*Delphicaq. ut laurus Lycio gratiſſima Phoebo*
*Iacta ſuper prunas flamma crepitante crematur:*
*Haud ſecus horribili cum murmure uerberat aura.*
*Vi magna erumpens trunci de faucibus ignis.*
*Haec docuit Natura parens ſua iura tueri,*
*Vi propria confiſa, furens obſtantia contra.*
*Indomitam quam nulla hominum uis improba uincat.*

*Haud alia irato ratione tonitrua caelo*
*Conſternãt animos hominũ, & genus omne animãtũ,*
*Cum tremuli crebris radiant fulgoribus ignes,*
*Perſtringuntq. oculos rutilanti nubila luce.*
*Velle Iouem dicas caelo detrudere caelum.*
*Ne graue ſit, liceatq. tua mihi pace,* LVCRETI
*Naturae tecum arcanos intrare receſſus,*
*Indictasq. tibi, tonitrusq. inquirere cauſſas.*
*Tota tua eſt (ſi qua hic mea gloria) nam tibi pridem*
*Strata uia eſt: ſequimurq. tuae ueſtigia curae.*
*Cum primis in nube caua concluditur aeſtus;*
*Siue quod ignea ſint ſua ſemina nubibus intus,*
*Seu ſolis radijs a nubibus interceptis,*
*Seu propero incluſae conflictu materiai,*
*Siue calore ignis ſuperi per regna meantis*
*Frigida: ſeu rapido uentorum in proelia curſu,*
*(Nam pariunt ignes per mutua uulnera uenti,*
*Vt ſubito, crebroq. ardeſcunt omnia motu)*
*Siue etiam calido, ſiccoq. uapore, uapori*
*Vdo commiſto, fit atrox ſine foedere pugna.*
*Nulla etenim ſudo crepuere tonitrua caelo,*
*Sed prius obduci uento, nebulisq. neceſſe eſt.*
*Mox piceis quoties nigreſcit nubibus aer*
*Contractus, caecaq. tegit caligine terras,*

*Et*

*Et uiolenta truces inter ſe proelia uenti*
*Exercent: denſata niſi eſt, compactaq. nubes*
*Finditur intorto ſine fulmine, ſolaq. caelo*
*Fulgetra apparent tremulis nictantia flammis,*
*Perq. leuem nubem ſonitu ſine diſſilit ignis.*
*At, ſi craſſitie ſpiſſa ſit condita nubes,*
*Suffitumq. diu grauida compreſſerit aluo,*
*Attractum terra radijs Solaribus; intus*
*Accenſus, luctansq. refracto eliditur ignis*
*Carcere; uentorum rapido cum turbine uictor,*
*Horrendoq. minax cum murmure fertur in auras,*
*Omnia percellens late loca, & omnia quaſſans,*
*Attonitum Stygijs terret Plutona ſub umbris.*
*Vtq. inter ſeſe quadrent caeleſtia noſtris*
*Fulmina fulminibus, telumq. uolatile telo:*
*Eſt etiam ſolido concretum corpore telum*
*(Fulmineum dicunt lapidem) exhalatio ſicca*
*Quod creat humore adiuncto, tandemq. rigentis*
*Materie miſta ſpeciem reddente metalli:*
*Saxoſi in faciem cunei conſtringitur, arida*
*Vt coit in maſſam diluta liquore farina.*
*Dein ſicco ardentis durantur ſolis ab aeſtu,*
*Vt lutei in ſaxum lateres fornace coquuntur.*
*Hoc ita formatum, & correptum fulminis aura*

*Qua data porta ruit, ſpatijsq. excluſus iniquis*
*Funditur in terras uaſto comitante boatu.*
*Nec dubium hoc, oculisq. fidem manifeſta facit res,*
*Cum tonitru ſiquidem lapis eſt perſaepe repertus,*
*Brontia qui Graia deduxit origine nomen.*
*Quis non miretur, tonitrusque, & fulgur eodem*
*Tempore cum fiant; oculis tamen ante uideri*
*Fulgura, quam tonitrus uaga murmura ſentiat auris?*
*An ne ideo, quod ſit uiſus pernicior ipſo*
*Auditu, nec tam ſubito pertingat ad aures*
*Vox, arguta licet, quam cernat fulgura uiſus?*
*Oppoſitas oculi nam dum iaculantur in auras*
*Emiſſos radios, ſimul & fulgetra profundunt*
*Semina clara ignis, uiſu occurrentia noſtro:*
*At ſonus (horribilis quamquam) deſcendit in aurē*
*Tardior, aut quoniam medium perſcindat oportet*
*Aera; tum patulae quia nil extrinſecus aures*
*Ex ſeſe emittunt; ſed lente ſe fragor illis*
*Inſinuat, ſpatiumq. requirit temporis aequum*
*Deprendas facile ex remis, ſi quando ſuperba*
*Dux Venetum uehitur Centauro; quos prius unda*
*Sublatos uideas, planctus quam perſonet aures*
*Spectantum: quamuis ſonitus ſimul, & ſimul ictus.*
*Indicat hoc etiam ſilua lignator in alta,*

*Anci-*

Ancipiti duram ferro qui uulnerat Vlnum,
Quercum ue annoſam radice abſcindit ab ima:
Ante uident ictus oculi, quam plaga bipenni
Inflicta effuſos gemitus tranſmittat in aurem.
Cur autem in terras detruditur aere ab alto
Fulminis aetherei tanto uiolentia caſu,
Cum ſemper ſurſum uis ignea tendat, & inſtar
Pyramidis, cono uerſum aſtra feratur acuto?
Cauſſa nec obſcura eſt, nec pluribus indiga uerbis.
Nubis maſſa cauae plerumque in parte ſuprema
Spiſſior eſt multo, multoq. coactior ima:
Dura ideo nequeunt perrumpi clauſtra, negante
Aeris algenti media regione; ſed intus
Luctatur, donec de finibus exeat arctis,
Atque imas partes effringere cogitur aeſtus
Condenſas minus, & facta reperire uiam ui,
Cum nequeat Natura pati duo corpora eodem
Eſſe loco ſimul, atque illic magis aucta teneri.
Tunc igitur nubis partem ferit inferiorem,
Quam tandem rutilo patefactam uerbere rupit.
Haud aliter calida nux eſt ubi tecta fauilla
Caſtanea, illaeſo fuerit ſi cortice; quando
Internum externo diffundi ſenſit ab igne
Humorem, crepitans calices iaculatur in auras.

Haec

*Haec uera eſt ratio, quamuis ſecus autumet aetas*
*Illa antiqua, tulit quae te facunde, LVCRETI,*
*Primus inacceſſas rerum qui pandere cauſſas*
*Carmine tentaſti, ſcrutatus uiſcera matris*
*Naturae: tibi quae primam dat ferre coronam,*
*Atq. tibi, o CAPITI, poſt ſaecula multa ſecundam.*
*Ac, uelut illa tuo fulget decorata labore,*
*Sic quoque tu merito fulges ornatus ab illa.*
*Vos tellus, uos unda, aer, uos ignis honore*
*Perpetuo extollent, caelo qui digna locuti.*
*Felices nimium, quibus haec, incognita multis,*
*Noſſe datum, ſuperasq. animo contingere ſedes,*
*Quamquam corporea nondum compage ſolutis.*
*Quo me trãſuerſum Sophiae rapit improbus ardor,*
*Et mea Pierio praecordia concitat oeſtro?*
*Cetera quae ſuperant uerſu quid proſequar ultra*
*Naualis Veneti meritarum praemia laudum?*
*Vix oculi credunt uiſis: tot per loca ducor,*
*Vt me deficiant ueſtigia languida greſſu,*
*Luminaq. obtuitu uario expugnata fatiſcant.*
*Defeſſi quamuis oculique, animusq. tuendo;*
*Attamen expleri nequeunt, dum ſingula luſtrant.*
*Omnia qui referet, Libycas numerabit arenas,*
*Ac maris Hadriaci ferientes litora fluctus,*

*Sideraq.*

*Sideraq. immenſo curſim palantia caelo.*
*Iamq. ſatis Superi ſulcauimus aequoris undas.*
*Iam tempus tumidis autennas dimittere uelis:*
*Vicinae inuitant moles, uicinaq. tellus,*
*Vt ſtabili firmata gradu, ſecura maris mens*
*Implicitas Venetum ſortes euoluere poſſit;*
*Sortes, tuta quibus firmo fundamine ſeſe*
*Suſtinet immoto Reſpublica cardine fixa.*
*Hae mihi (non Lyciae uaniſſima ſomnia ſortes)*
*Dicendae: laſſo ſed panditur inuia curuis*
*In ſeſe rediens Maeandris ſemita mille*
*Reſpira, mea Muſa. ſit haec tibi meta quietis.*
*Fortior ad reliquum ſurges recreata laborem.*

# VENETIARVM

## LIBER · TERTIVS

AD. ILLVSTRISS.
VIRVM
ARNALDVM · FERRERIVM
Galliae, & Poloniae Regis
apud Remp. Venetam
Oratorem.

HACTENVS *vrbis opes uarias, ortumque, ſitumque,*
*Acta Ducum, procerumq. genus, populosq. natantes,*
*Et nauale, rates, armamentaria, fulgur,*

*Huma-*

*Humani, & ſuperi cauſſam, & uim fulminis: atnũc*
*Iura, Magiſtratus, & te, Reſpublica (caecis*
*Materiam incluſam Labyrinthi ambagibus) & uos,*
*O Sortes, rerum dominas, inuerſa latebris,*
*Quas ubi ciſta ſuis celeres emiſit in auras,*
*(Rem miram) ambiguae ſortes prius, aere tacto,*
*In leges abeunt ſtabiles, gentisq. togatae*
*Tamquam arctis mores religant, & pectora uinclis:*
*Hinc canere aggrediar: tantis modo Cinthius auſis*
*Adſpirare uelit, timidaeq. occurrere menti.*
*Vos Phoebi comites, Muſae, adſpirate canenti,*
*Si ueſtros uenerans ſuſpexi ſemper honores,*
*Caſtaq. ſupplicibus cumulaui altaria donis.*
*Quin ſatis unus eris Muſis, & Apolline maior,*
FERRERI, *uenerande Senex ſanctiſſime, noſtri*
*Regis apud Venetos multis Orator ab annis.*
*Cui nec ſola trium Linguarum cognita uirtus,*
*Nec diuinarum percepta ſcientia rerum,*
*Nec propriam peperit Iuris prudentia laudem,*
*Docta diu quam te mirata Tholoſa docentem eſt:*
*Sed Patris officio conſcripti, & Praeſidis auctus,*
*Inq. graues alias traducto pectore curas*
*Integritate noua, priſcis quoque moribus uſus,*
*Pariſium mira ſparſiſti luce Senatum:*

*Qua*

*Quæ nunc illuſtras Venetam ſpectabilis oram.*
*Hanc quoque des noſtris, diſcuſſa nube, tenebris;*
*Atque tuo inſpires afflatam numine mentem,*
*Entheaq. Aonio ſuccendas corda calore.*
*Ancipites tot per calles, per opaca uiarum,*
*Per uada, per ſcopulos, undisq. latentia ſaxa,*
*Quae tu mente tenes memori ſpectata tot annos:*
*Praeuia palantem tua per ueſtigia flectas,*
*Sis mihi Dux, mihi lux, denſa in caligine, clara.*
*Nam neque ſufficiant Oeagria plectra ſonanti,*
*Nec conceſſa chelis Dircaei Amphionis aurea,*
*Nec cum Maeonijs uocalia carmina neruis;*
*Ni mihi tu prope iam ſub iniquo faſce labanti*
*Sufficias uires, & amico lumine praeſis.*
*Huc ades ergo bonus tam caeca per aequora nanti;*
*Intacti uada pande maris; formidine ſegnem*
*Solue animum; reducemq. ad portum dirige cymbã.*
*Tu tamen, haec quicumque legis, ſi forte lepores*
*Hic, Veneresq. petis; monitus mihi limine ab ipſo,*
*Quaere alium uatem, teneras ne lancinet aures*
*Iſte, animoq. rudis moueat faſtidia molli,*
*Si mecum rigidas cautes, & teſqua pererres.*
*Ornatum res ipſa fugit, uix apta referri:*
*Visq. locus uotis rem tantam ut digna ſequantur*
*Verba:*

*Verba: ſed optandam praecedunt ardua laudem.*
*Vtilitasq. ſuo comes eſt plerumque labori.*
*Et, ſi pingue ſolum laſſat, iuuat ubere glebae.*
*Sic, ingrata meae potis es ſi ferre Camoenae*
*Taedia, & hamatos curſim tranſmittere ſentes,*
*Defeſſo forſan contingant florida tempe.*
*Agreſtisq. ferat ſuaues labruſca racemos.*
*In Venetā, quaecumque fuit Reſpublica quondā*
*Collecta eſt: priſcis praeſtantior omnibus una,*
*Quanto praecellit cunctis uaſtum amnibus aequor,*
*Sol facibus relliquis, Soliq. Dieſpiter ipſe.*
*Regia non deſit uis, & ſuprema poteſtas,*
*Sed ratione tamen frenata, & legis habenis.*
*Quam Dux ipſe refert Regali cultus honore,*
*Qui uiuo comes, ipſo etiam nec funere deſit.*
*Omnis namq. auro cuſa, argentoq. moneta*
*Nos monet, exſtincti ſculpta cum nomine forma.*
*Aurata inſignis trabea eſt, Phrygiaq. tiara,*
*Quam pro conſpicuo geſtat diademate: Soli*
*Aſſurgunt omnes; aſt illum aſſurgere cuiquam*
*Nec Regale decus patitur, nec ſumma poteſtas.*
*Namque illum quocumque adeunt ex ordine ciues,*
*Adſtantes, nudiq. caput grauitate uerendum*
*Compellant; multoq. Ducem uenerantur honore,*

*Huic*

*Huic uni priuata licet ſint munia nulla.*
*Nam, ueluti humano peragunt in corpore munus*
*Singula membra ſuum, nec acutae fungitur auris*
*Officio cernens oculus, naresq. ſaporem*
*Non guſtant, auidi non olfacit aula palati.*
*Audit ſola auris, ſolusq. tuetur ocellus,*
*Olfaciunt nares, guſtat admota palatum:*
*Vna manus, proprium quae nil habet, inſtrumenti*
*Cuiusuis explet partes, Phyſicisq. uocatur*
*Primum inſtrumentum, reliquorum regula princeps:*
*Sic cum nulla Ducis ſit functio propria, tamquam*
*Primum inſtrumentum toto ſe corpore miſcet,*
*Nullius officij, nullius muneris expers.*
*Sola illi ſed cura rei communis ut (alta*
*Tamquam de ſpecula) ſolio ſublimis eburno*
*Proſpectans oculis uigilantibus omnia luſtret,*
*Caſtigetq. moras ceſſantum; & crimina plecti*
*Imperet, arbitrio rigidi mandata Senatus.*
*Namque uetant leges ſolum decernere quidquam.*
*Sex illi totidem diſtinctae e partibus urbis*
*Sunt Aſseſſores, nullo non tempore utrumque*
*Claudentes latus: & parili cum Principe cura*
*Publica tractantes, nec fas, abſentibus illis,*
*Communes legiſſe Ducem, aut dictaſſe tabellas,*

*Aut inconſultis quidquam inceptaſſe negoti.*
*At decreta Patrum, leges, conſulta Senatus,*
*Nomine ſolius ſtatuuntur Principis omnia.*
*Et quid plura? Duci Maieſtas Regia prorſus,*
*Atque aequalis honor, Regi non aequa poteſtas.*
*Namque tenet primas ſummi ſacer ordo Senatus,*
*Ipſis imperio par Regibus, ardua cuncta*
*Conſilio auguſto diſpenſans, proelia, pacem,*
*Foedera decernit: coetu hoc ſtatuente tributa*
*Indicta exſoluunt populi, collectaq. rurſum*
*Huius communes iuſſu impenduntur in uſus.*
*Quin, ita ſi uiſum eſt, noua uectigalia pendi*
*Imperat: & quoties externas cenſet in oras*
*Mittendum ad magnos celebrem Reſpublica Reges*
*Legatum, eximijs e ciuibus eligit unum*
*Conſpicuum pulchro patriae pietatis honore,*
*Cui Ducis arcanos ſenſus, mandataq. tradat.*
*Qualem te Hadriaci toties ſanxere Quirites,*
LAVRENTI *& notum delegauere* PRIVLE,
*Qui meritis ingens, & ſanguine utrique* PRIVLO
*Principibus iunctus Venetis (quos ordine nuper*
*Continuo, uoluit ſolio ſuccedere fratres*
*Publica res) rarum noſtrae decus addite genti,*
*Nulla laude minor: conſeſſu electus ab omni*
*Veniſti*

*Veniſti Orator Gallorum Regis in aulam*
*Henrici, qui bina gerit Regalia ſceptra,*
*Quam ſplendore nouo, & miris uirtutibus ornas.*
*Illa tuos mores, & doctae mentis acumen*
*Suſpicit, & Venetos omnes te diſcit ab uno.*
*Non Ephori deſunt ſpeculantes omnia circum,*
*(Quos bis quinque uiros uulgari nomine dicunt)*
*Summa quibus cura eſt, ne quid diſcordia turbet.*
*Principis obſeruant mentem, Plebisque, Patrumque,*
*Externasq. minas, animosque, & foedera Regum,*
*Praeuiſis ut ſana queat medicina parari.*
*Solliciti uixdum incoeptos compeſcere motus,*
*Et procul inſtantes arcendo auertere flammas.*
*Hinc Venetis tam longa quies; pridemq. ſalutem*
*Ipſa ſuam bis quinque uiris Reſpublica debet.*
*His Prouiſorum iungas collegia Patrum,*
*Queis ſpectata ſuum tribuit Sapientia nomen,*
*Quod ſapere ante alios longe uideantur, & uſu*
*Prudentes multo melius ſuccurrere lapſis.*
*Atque ideo, quoties ſummis de rebus agendum,*
*Seu belli, ſeu ſint tractanda negotia pacis,*
*Conſilium cogunt, referuntq. agitata ſeorſim.*
*Tunc ultro citroq. omni ratione citata*
*Res aequa trutinant lance, & meliora ſecuti*

*Proſpiciunt, ne quid capiat Reſpublica damni.*
*Hic quandam agnoſcas ſpeciem, regimenq. bonorum.*
*Conſilium magnum ſtatus eſt popularis; ab illo*
*Imperij columen, Resq. omnis publica pendet.*
*Namque, & ſincera delectus ſorte Senatus,*
*Conſcriptiq. Patres ulla ſine ſorte creati,*
*Atque Magiſtratus reliqui praeſcripta faceſſunt*
*Concilij magni, quibus eſt parere neceſſe:*
*Iuraque, funeſto interregni tempore, condit;*
*Lumine dum caſſus decoratur funere Princeps,*
*Electus donec ſolium Dux impleat alter.*
*His compacta tribus Venetum Reſpublica mēbris,*
*Veram Pyramidis faciem formare uidetur:*
*Quippe baſim reddit reliquis longe amplior ordo*
*Conſilij magni, medium uis magna Senatus*
*Strictius aſſurgens, conum Dux uertice ſummo.*
*Patricio quicumque genus de ſanguine duxit*
*Legitime: ſi bis decimum compleuerit annum,*
*Laetaq. certanti ſors aurea fulſerit, aeuum,*
*Progeniemq. prius gemino ſi teſte probarit*
*Nobilibus ductam maioribus, atque creatam*
*Haud uetito ritu, haud inconceſſis hymenaeis:*
*Tum cui iam fuerint aetatis quinque peracta*
*Luſtra ſuae: claraq. ab origine duxerit ortum:*
*Ipſi*

*Ipſi etiam externi, quorum uirtutibus aucta eſt*
*Publica res Venetum, Veneti ius ciuis adepti,*
*In magno poſſunt ſuffragia ferre Senatu.*
*Magna patet mille & quingentis ciuibus Aula*
*Patricijs; quibus eſt ſortis permiſſa facultas.*
*Qui, quoties ſacrata Deo ſeptena refulget*
*Aurora, atque alijs etiam cum poſtulat uſus*
*Lucibus, aequa tenet dum Phoebus culmina caeli,*
*Conueniunt alacres, ut publica commoda curent.*
*Aedibus auguſtis a Principe cogitur ingens*
*Conſilium, reſonis Campani pulſibus aeris.*
*Auiti properant Patres: coetuq. ſedente,*
*Ac foribus clauſis, extemplo claue relata*
*Principis ante pedes: nulli poſt aula pateſcit*
*Patricio, Ducis aſſeſſor niſi uenerit, aut cui*
*Credita Sanctarum fuerit cuſtodia legum,*
*Vel Praeſes bis quinque uirum, uel denique Cenſor.*
*Longa ſub ingenti ſunt dena ſedilia tecto,*
*Vt Romana putes Latio comitia more.*
*Hic micat in ſolio Princeps uenerabilis alto,*
*Quem modo ſublimem Regalis purpura ueſtit,*
*Cum libuit, rutilo fulget ſpectandus in auro:*
*Hinc Aſſeſſores, atque hinc, Proceresque, Patresq.*
*Primores: atque a ſecretis maximus ille,*

 Cui

*Cui reliqui cedunt Scribae, decretaq. Patrum*
*Excipiunt celeres ſidis commiſſa tabellis:*
*Cenſoresq. duo, tum quos Veteresque, Nouosque,*
*Plebs Auditores communi nomine dicit.*
*Atque Ducum nati, fratresq. ſedilibus altis*
*Exſtant: & quicumque gradus praecellit honore,*
*Doctores, Equitesq. Sacri decora alta Senatus.*
*At ſine delectu reliqui ſubſellia complent.*
*Vna permiſti pariter iuuenesque, ſenesque;*
*His ut ſit grauitas; illis reuerentia maior.*
*Ne tacito quiſquam ſigno, nutu ue loquaci*
*Audeat his coram Venetos prenſare Quirites,*
*Neu cauponari uultu ſuffragia tentet.*
*Ambitio procul hinc, & honorum cura faceſſit.*
*Nec locus eſt ſtudijs, odijsq. atrocibus, aequas*
*Concordes ducunt nullo diſcrimine ſortes.*
*Protinus ante Ducem pictae tres ordine ciſtae*
*Haud ita diuerſis ſtatuuntur partibus Aulae:*
*Os illis unum, anguſtumq. manum excipit urnam,*
*Quae mittat, quaeue inde trahat ſine fraude puſillos*
*E lino globulos uariantes triplice uultu,*
*Linteus hic, ille eſt argenteus, aureus alter.*
*Ex terno inſeritur cunctis nota publica ſigno,*
*Ne caeco temerata dolo furtiua cadat ſors,*

*Alla-*

*Allatiq. globi clam demittantur in urnam*
*Omnes tormento molli, xylo ue referti,*
*Ne dent acta ſuo ſonitum ſuffragia caſu,*
*Quo queat, illius quae ſit ſententia, noſci,*
*Ne qua olim Patres inter diſcordia ſurgat,*
*Suſpicio ue leuis tranquillae inimica quieti,*
*Quae fons inuidiae eſt, odijq. tenacis origo,*
*Dira lues caeca euertens communia tabe:*
*Orta Chao, nutrita Erebo, Stygiaq. palude*
*Imbuta: & diris crines euincta colubris,*
*Lenia ſuſpenſo ponit ueſtigia paſſu*
*Clam ſeſe inſinuans: ſemel imo in corde recepta*
*Radices agit, & capit incrementa latendo.*
*Mox ſtabilita dolis uires a crimine ſumit:*
*Bella ſerit; ciet unanimes in proelia fratres.*
*Exſerit os tandem, ſummasq. a ſedibus arces*
*Eruit: exaequatq. ſolo ſublimia tecta.*
*Ogygiae teſtes Cadmeo ſanguine Thebae,*
*Ac diſcordantes, fratrum poſt funera flammae.*
*Te quoque Carthago, Libye non ſola timebat*
*Finitimas late gentes ditione prementem,*
*Vnanimes dum laeta tuos concordia ciues*
*Ingeret, & parilis regnarent uincula iuris:*
*Terrorem ipſa etiam populorum litore longe*

 *Aduerſo*

*Aduerſo poſitam terrebas aemula Romam;*
*Conſulibus toties caeſis, totiesq. fugatis,*
*Ad Trebiam, ad Cannas, Traſimena ad litora uictã.*
*Tot decora euertit Barchinae factio gentis,*
*Abſciſſo penitus ſtudia in contraria uulgo.*
*His auerſa, uetus mutauit regia Iuno*
*Conſilium; caramq. inuiſis prodidit urbem*
*Aeneadis: ſic ſaeua Decs percellit Alecto,*
*Dilectas cogens inimicis linquere ſedes.*
*Tu uero Imperij toties compage ſoluta,*
*Rixarum occultis labefacta impulſibus, & iam*
*Ponderibus ſolitis impar uictricia colla*
*Sub nuper uictis Ducibus curuare coacta,*
*Ignibus ipſa tuis, proprioq. abſorpta ſepulcro,*
*Aeternum ſemel ingenti proſtrata ruina,*
*In cinerem, & tenues abijſti euanida fumos,*
*Ferales imitata rogos auctoris Elyſae.*
*Nec ſapere exemplo didicit, peſtem ue cauere*
*Victrix Roma tuo, ſubuerſis ſedibus exſul*
*Romuleos humilis ſubijt diſcordia muros,*
*Parua metu primo: ſed blande excepta Quiritum*
*Irrepſit mentes, medioq. in pectore ſedem,*
*Vis quam nulla uirum poſſit reſcindere, fixit.*
*Fota, & adulta ſuo ſe tempore prodidit, & ter*

*Auſa*

*Auſa immane nefas; terq. in ſua clauſtra retruſa*
*Peruicit tandem uiolato limite, donec*
*Tranſmiſſis Rubiconis aquis diſcordia praeceps*
*Egit in arma feros, & mutua uulnera ciues;*
*Subiecitq. ſuo Dominam ſcelerata Clienti;*
*Sublato imperij ueteris ſplendore; fuitq.*
*Ex illo recidiua ſuis, totisq. ſuperſtes*
*Cladibus, & nequijt ſimul una clade perire.*
*Nunc etiam de tot ſpoliati inſignibus orbis*
*Oſtentat ſolas immanes Roma ruinas,*
*Dedecorisq. decus. fato meliore pudoris*
*Opprobrium Carthago tui fuit urbe ſepultum*
*Exſtincta, ſtragemq. ſuam Saturnia texit.*
*Sola uiden' ueteris ſupereſſe cadauera Romae?*
*Heu Roma, heu quantum Roma mutaris ab illa,*
*Quae fuit immenſi dominatrix inclyta mundi,*
*Quaeq. ſuis totum ſubmiſit legibus orbem?*
*Nunc quã te adſpicimus? quae rapta trophaea uidemus?*
*Aut quas exſuuias? quos uicto ex hoste triumphos?*
*O ſublime Deum munus concordia, quae nos*
*Dijs aequas ſuperis, & lumine pellis amico,*
*Nubila rixarum res offuſcantia laetas:*
*Quae minimae per te augeſcunt, auctaeq. fouentur*
*Conſenſu aſſiduo: hinc ſeries aeterna regendi,*

*Hinc*

*Hinc ſpatijs ſuperans priſcorum ſaecula longis*
*Maieſtas Veneti imperij, & ſuprema poteſtas*
*Solis utramq. domum tranquilla pace beabit.*
*O tibi ſi noſtras libeat, cariſſima Virgo,*
*Rurſum habitare domos, & Galla reuiſere regna,*
*Poſt longa exſilia, & uiduatas ciuibus urbes?*
*Iam ſatis exhauſtum eſt poenarum ſanguine noſtro.*
*Nunc tandem poſitis pax aurea floreat armis,*
*Si uiſum eſt Superis. Sed, quod nunc inſtat, agamus.*
*His ita digeſtis, priſcorum more retento,*
*Ciuibus attentis, preſſoq. fauentibus ore,*
*Maximus ex alto ſuggeſtu nunciat omnes*
*Scriba magiſtratus, illa qui luce creandi.*
*Hic in maiorum proceres de ſortibus olim*
*Praeſcriptas iurant leges; ritusq. ſecuti*
*Cunctorum obſeruant cultumque, habitumque, locūq.*
*Extremis, medijsque, ſedentes partibus Aulae.*
*Iam trepidat gelida pauidum formidine pectus,*
*Et, ni obſtet pudor, acta retro ueſtigia ferrem,*
*Dum Venetae reputo ſinuoſa uolumina ſortis:*
*Nec ſum animi dubius, uerſu haec euoluere, magnum*
*Quam ſit, & ignotos Latio deſcribere ritus,*
*Illis addenti meritum decus: at mihi certe*
*Stat perferre prius ſcriptoris nomen inepti,*

Quam

*Quam ſileam memoranda noui ſuffragia moris,*
*Inuentum ueterum nulla uiolabile fraude,*
*Aeterni imperij columen, ſcelerumq. ſecurim,*
*Infeſtum tacitae, ſaeuaeq. tyrannidis hoſtem.*
*Ordine ſorte dato, Patres ſubſellia linquunt:*
*Principis ante oculos dextra, laeuaq. locatas*
*Tres adeunt urnas, auro, argentoq. coruſcis*
*Diſtinctas pilulis, numero tamen impare: nempe*
*Harum quae media eſt, ter denas, ſexq. receptat*
*Auratas mixtis uigintiquattuor albis:*
*Extrema innumeris cadentibus utraq. plena eſt,*
*Flauis triginta admiſtis: flauentia uero*
*Sortiti quicumque duo felicia puncta,*
*Extemplo clara praeconis uoce citantur,*
*Vt deſignati notum ſit nomen, & omnes*
*Sortitu abſtineant, migrentq. hinc ſanguine iuncti.*
*Gente etenim ex una plures optare duobus*
*Fas, & iura uetant, meriti ut didantur honores.*
*Vt fidium quando plus aequo intenditur una,*
*Quae modo concentus dederat teſtudo canoros;*
*Diſcrepat ipſa ſibi, nec iam Symphonia concors:*
*Sic prius unanimes inter diſcordia ciues*
*Exoritur; quoties extollitur una propago*
*Ante alias, nec ius eſt ciuibus omnibus unum.*

*Tauri-*

*Taurigenae ueluti uolucres aluearia circum*
*Inuolitant, ſtipantq. ſuum denſo agmine Regem:*
*Sic illi circum ciſtaſque, Ducemq. frequentes.*
*Tandem, ubi flaua nouem ſignauit teſſera ciues,*
*Ilicet electi uacuum in conclaue recedunt;*
*Ac, ſacramento primum alternante rogati,*
*Acceptaq. fide, iurant in uerba Senatus,*
*Nec prece, nec pretio lecturos ſe fore quemquam,*
*Vtilior niſi qui cenſebitur urbis in uſus.*
*Mox ſolo aetatis diſcrimine quique ſedentes,*
*(Praecipui ne uana loci contentio ſurgat)*
*Solliciti expendunt, cui quiſque ſit aptus honori.*
*His ita diſpoſitis, noni iaciuntur in urnam*
*Inſcripto numero globuli: maturior annis*
*Educit ſortem, numerus ſpectatur in illa*
*Impoſitus: ſpectatur item prolixa creandos*
*Charta, magiſtratus quae continet ordine eodem.*
*Tũ ſenior quẽ uult pronunciat: atque ita deinceps*
*Procedunt reliqui primi ordinis, atque ſecundi,*
*Tertia ſic etiam decernit, quartaq. claſſis:*
*Dein a Patricijs ad ſortes itur, & urnas.*
*Deq. nouem, quibus id tribuit ſortitio iuris,*
*Sint niſi ſex (minimum) unanimes, electio nulla eſt.*
*Omnia Scriba notat lectorum nomina, necnon*
*Deſi-*

*Deſignatorum ſcripto quemque ordine. namque*
*Elector quiſque, eſt electi ſponſor, & omnis,*
*Si quod erit, ſartor damni, auerſiq. peculi.*
*Interea exſurgens ſcribarum maximus alta*
*Nomine uoce refert lectorum; protinus omnes,*
*His, electores, actis, a ſorte recedunt,*
*In conclaue abeunt, abeunt & ſanguine iuncti,*
*Atque ibi conſiſtunt, dum quae ſuffragia parte*
*Excedant media, & patrum ſententia conſtet.*
*En tibi tot iuuenes, quot ſunt ſubſellia, ſurgunt*
*Quiſque duas profert ciſtas tanta arte coactas,*
*Compactasq. ſimul, binas ut dixeris unam;*
*Altera ſi uiridis non eſſet, & altera candens.*
*Vnuſquiſque Patrũ ſortem praemonſtrat aperte,*
*Quam mox utram uult tacite demittit in urnam:*
*Si neget, in uiridem; ſed, ſi confirmet, in albam.*
*Nec facile agnoſcas, in quem defluxerit alueum,*
*Quantumuis ſpectes oculis cernentibus acre:*
*Vel quãtum Lynceus, uel quãtum Epidaurius anguis.*
*Nam geminas uno ciſtellas fornice, & ore*
*Adſpicies iunctas, tectasq. infraque, ſupraque,*
*Ne quis noſſe queat, qua ſphaerula parte reſidat.*
*Omnes, ante oculos referuntur Principis, urnae,*
*Protinus inuerſi numeratis ſortibus aluei*

*Soli,*

*Soli, plura quibus puncta obuenere, leguntur*
*Publica bis ſenos geſturi munia menſes.*
*Pluſue, minuſue alijs praeſcriptũ eſt temporis, omnes*
*More Magiſtratus ſimili, rituq. creantur,*
*Siue foris, ſeu ſint functuri munus in urbe.*
*At Ducis o quantae uarians ſortitio molis?*
*Principe defuncto, iuſtis de more ſolutis,*
*Sex Aſſeſſores ſubeunt regalia tecta:*
*Quos inter ſenior partes Ducis implet, & ingens*
*Conſilium uocat, ut Cenſores quinque legantur,*
*Cuncta recognoſcant qui Principis acta ſepulti:*
*Vt reſcindantur, ſi quae ſint facta receptum*
*Ius contra, & decreta Patrum; ſi munere uictus*
*Sit culpae affinis; uitio ſi mentis auarae*
*Indictos alium nummos traduxit in uſum*
*Securus decoris. nam, ſi quid tale patrarit,*
*Defuncti actutum iuſta poſſeſſio multa*
*Plectitur, & toto damnatur iudice coetu,*
*Atque ea communi cedit multatio fiſco.*
*Quinque alij ciues educta ſorte creantur,*
*Principis ut uideant poſſit quid uiribus addi,*
*Quid minui; quae ſit ſtatui noua iura neceſſe.*
*Quae rata conſilij arbitrio uice legis habentur,*
*Vt nouus in noua Dux iuret decreta Senatus.*

*Iam*

*Iam tentanda mihi multis amfractibus anceps*
*Eſt uia, qua Princeps repetita ſorte creatur,*
*Aucto ſaepe Patrum numero, dein ſaepe minuto.*
*Fluctuo nunc medio ueluti deprenſus in alto.*
*Imprudens, refluo rapidarum uortice aquarum,*
*Et caeco intorti iactatus turbine uenti,*
*Proſpicio quocũque, mare undique, & undiq. terror:*
*Ecquid agam? quid me tam uaſto in gurgite fiet?*
*Dij maris erroni date dextram, auertite caſum,*
*Vt liceat Venetas ope ueſtra euoluere ſortes,*
*Coeptaq. ad optatum comitia ducere finem.*
*Patricios quoniam ſortitio reſpicit omnes,*
*A ſorte incipitur, cuiuis ſit ut obuia ciui.*
*Poſt prudens dubiae commiſſa electio ſorti eſt,*
*Imprudens ne caeca ferat ſuffragia uulgus.*
*Omnia fortunae placitis committere durum eſt.*
*Quicumq. attigerint ter denos, nec minus, annos,*
*Conueniunt: alijs non haec conceſſa facultas.*
*Curia uix horae momento cogitur omnis:*
*Clauduntur portae: conſidunt ordine ſellis.*
*Concilij a Scriba recitatur cauſſa coacti:*
*Amiſſo rectore alium Reſpublica poſcit,*
*Armis, iuſtitia, uirtutum ſtemmate, clarum.*
*Quilibet ergo Ducem lectis e ciuibus unum*

*Nomi-*

*Nominet, imperio orbatas qui flectat habenas.*
*Omnes continuo admiſſi numerantur ad unum,*
*Ac totidem globuli uacuam conduntur in urnam,*
*Quot numero Patres; in qua eſt argenteus omnis*
*Calculus; exceptis triginta ardentibus auro,*
*Addita legitimos quos ſigna arcana tuentur.*
*Ante Aſſeſſores ſedet urna: puellulus urnae*
*(Ductus eo prius) educendis ſortibus adſtat.*
*Hic etenim nulli fas eſt immittere dextram*
*Patricio, ut reliquis in coetibus; hic quoque primum*
*Bis quinque educta ſubſellia ſorte uocantur.*
*Tum, quo quiſque ſedet, proceditur ordine ad urnam.*
*Et, quibus e ciſta ſphaeras puer extulit albas,*
*Fruſtrati uoto ſubſellia nota relinquunt:*
*At, quibus optato ſors aurea fulſerit, exin*
*Maioris Scribae electores uoce citantur.*
*Sedibus affines ſurgunt, & ſanguine iuncti,*
*Interiora domus adeunt, abeuntq. ſeorſum.*
*Et totidem globuli niueo candore nitentes,*
*Quot conſanguinei grauida tolluntur ab aluo.*
*Haec ubi prima ſuum coepit ſortitio finem,*
*Tum magnae uicinum Aulae in conclaue recedunt*
*Triginta lecti ſortis rumore ſecundo.*
*Hinc uacuam remeant Aulam, coramq. Senatu*

*Primorum*

*Primorum tantum (nam miſſa eſt cetera turba)*
*Ter deno e numero repetita ſorte, noueni,*
*Dimiſſis alijs, remanent: qui, proximiorem*
*Ingreſſi cellam, nullo comitante miniſtro,*
*Nec cuiquam permiſſa illis eſt copia fandi,*
*Quadraginta optant diuerſis ſtirpibus ortos.*
*Quorum quemque decet duo ter ſuffragia ferre,*
*Qui collega uolet ſelectos inter haberi.*
*Chartula profertur rurſum uenientibus illis:*
*Deſignatorum quae ſingula nomina Patrum*
*Continet: ex ipſis duodeni ſorte leguntur.*
*Qui ratione pari uigintiquinque cooptant,*
*Octo quiſque tulit concordia ſi modo uota.*
*Ex illis tres ter fortuna iudice uincunt,*
*Molliter arridens rutilo ſi fauerit ore.*
*A quibus, exemplo non diſpare, quinque creantur*
*Atque quater deni: ſors e quibus aurea tantum*
*Seligit undenos, qui de primoribus urbis*
*Quadraginta unum dictant probitate, fideq.*
*Praeſtantes, ſed non una de ſtirpe creatos,*
*Namque legi plures de gente uetantur eadem,*
*Principis optandi quibus eſt commiſſa poteſtas.*
*Quattuor ut uarijs quae conſtant ex elementis,*
*Temperie iuſta niſi ſint compacta uiciſſim,*

*Corpora lapſa cadunt: ſic & Reſpublica, quando*
*Pars aliam ſuperat, tandem conuulſa labaſcit.*
*Continuo, ſacris ſolito de more peractis,*
*Et prece ſollicita implorato numine, iurant*
*Adſtantes ſacris altaribus electores,*
*Qui pietate alios ſuperet, meritisq. uirum ſe*
*Sancte electuros: ſemotis omnibus illinc*
*Sacrificis, uacua ſoli includuntur in aula,*
*Omnibus expulſis, nullo remanente miniſtro.*
*Mox tres, qui reliquos ſuperant aetate, Quirites,*
*Tamquam perfecti, reſident ad tale paratam*
*Sortis opus menſam, uacuum quae ſuſtinet alueum,*
*In quem conijciunt lectorum quiſque notatum*
*In ſcedula nomen Veneti, agnomenq. Quiritis,*
*Quem dignum ante alios tam celſo culmine cenſent.*
*Iniectis ſcedulis, tantum una educitur alueo,*
*Inciderit prima in dextram quaecumque trahentis,*
*Qua lecta, uiſoq. inſcripti nomine ciuis*
*Si fuerit praeſens, (namque id ſaepe accidit) aula*
*Protinus egreditur. tum demum, ſi quis honori*
*Non aptum tanto reputet; conſurgit, aperte*
*Obijcit, affatus ſocios prius ore modeſto,*
*Quae patriae non uiſa ſibi conducere rebus.*
*Deinde, aliqua ſi forte nota, uitio ue laboret,*

*In*

*In medium profert, odio non percitus ullo.*
*Poſtquam accuſator finem dedit ore loquendi,*
*Accitur reus; electorum maximus aeuo*
*Tum uerbis iiſdem ſuppreſſo auctore, recenſet*
*(Mutua nā primum, atque aeterna ſilentia iurant)*
*Crimina in abſentem quaecumque obiecta fuerunt.*
*Ille autem contra moderatis omnia dictis*
*Crimina uana docet, certis incerta refellens,*
*Eleuat inuidiam, penitusq. adducta refutat;*
*Donec Patricijs fiat ſatis. ilicet itur*
*Ad globulos: quod ſi uigintiquinque tuliſſe*
*Contigerit quemquam ſuffragia, plura nec ulli*
*Obtigerint; demum Dux acclamatur, & illum*
*Primi Aſſeſſores adeuntque, Ducemq. ſalutant.*
*Fama Ducis lecti tota diffunditur urbe*
*Protinus, accurrunt hilares nullo ordine ciues.*
*Et noua laetanti teſtantur gaudia uultu:*
*Indigetesq. Deos, & numina ſancta precantur,*
*Vt ſit communi felix, fauſtumq. ſaluti.*
*Tunc electorum ſenior, ſublimis ab alto*
*Suggeſtu grauiter uerbis compellat amicis*
*Adſtantem populum: paucis nomenque, decusq.*
*Principis electi recitans cum laude modeſta.*
*Praeſentis quis enim ſanus praeconia dicat?*

*Dux autem ex ſolio praefatus paucula de ſe,*
*Deq. animo in commune bonum; ſe Principis aequi*
*Omnia geſturum promittit munia; & ante*
*Publica priuatis laturum commoda rebus.*
*Imploratq. Deos, & Diui numina Marci,*
*(Quo tutore uiget Venetum Reſpublica) purum*
*Inſpirent animum, faciles conatibus adſint.*
*Interea pendet populus dicentis ab ore,*
*Nec dubitat, quin uerba, & mentem facta ſequãtur,*
*Atque ideo laetis applauſibus accipit omen.*
*Illinc ad Sacram Marci deducitur aram,*
*Atque ibi iure fidem iurando adſtringit, & ipſos*
*Teſtatur ſuperos, quae Dux praeſtare tenetur,*
*Omnia facturum, & ſe totum deuouet urbi.*
*Lignea tum Princeps conſcendit pulpita, ſolo,*
*Et caro ante alios ſtipatus ſanguine iuncto:*
*Primores humeris attollunt pulpita nautae,*
*Sublimem Marci geſtantes compita circum.*
*Interea exoritur feriens ſupera ardua clamor*
*Cum plauſu ingenti, uicinumq. aſſonat aequor:*
*Ex alto ille ſua percuſſa numiſmata forma*
*Argenti, atque auri caelato nomine uulgo*
*Proijcit, auguria imperij felicia fauſti.*
*Quae conferta rapit tunicati turba popelli.*

Poſt-

*Poſtquam per plateam Dux eſt geſtatus, & altas*
*Principis ante fores, & celſa palatia uentum eſt:*
*Pulpita ſiſtuntur: communes pergit ad aedes,*
*Conſcenditq. gradus ſex aſſeſſoribus ipſo*
*Veſtibulo, excipitur qui lingua, animisq. fauentes*
*Agnoſcunt, Dominumq. nouum, Regemq. ſalutant,*
*Deducuntq. intro: mox pro diademate, canum*
*Purpurea ornatur mitra caput; aureus ambit*
*Quam limbus ſpecie cornu inſurgentis acutum.*
*Veſtimenta Ducis diſcusq. argenteus, ex quo*
*In plebem fuerat diſperſa pecunia nuper,*
*Hactenus immoto ueterum de more parentum*
*Praemia praebentur, gerulis quaſi debita nautis.*
*Haec ſinuoſa Ducis ſeries, haec forma creandi,*
*Hi ſoliti ritus, hic pompae totius ordo eſt.*
*Nunc age, quae ſuperant, ciuilia munera dicam.*
*Primum qui Diui procurant commoda Marci.*
*(A quo nomen habet Seniorum ampliſſimus ordo)*
*Proſequar: at meritis utinam ſua praemia reddam.*
*Qui uitae eſt illis, idem quoque finis honorum*
*Spectatis longo ingenij, morumq. tenore:*
*Quos pietas, quos cana fides, antiquaq. patrum*
*Relligio, geſtiq. diu ſine crimine faſces*
*Commendant late populis, praeſtantq. uerendos*

*Diuini tamquam referentes numina Marci.*
*Atque ideo templi, pupillorumq. ſub illis*
*Omine felici certa eſt tutela, ſalusque:*
*Irrita teſtantum ne ſit ſuprema uoluntas,*
*Vt, quod praeſidijs eget, externoq. fauore,*
*Praeſentes habeat Marco ceu uindice Diuos.*
*Sic auguſta manet templi ſtructura ſuperbi*
*Tergeminae numquam fano ceſſura Dianae.*
*Cultus Iuſtitiae, Sancti reuerentia Iuris*
*Aequior aurato Saturni non fuit aeuo.*
*Hic Veneti ſua regna tenent Rhadamantus, & una*
*Aeacus, ac Minos trutinantes lancibus aequis*
*Et merita, & mores, & turpia facta reorum.*
*Nam ſupra reliquos, curet qui talia, coetus*
*Praeficitur ſcelerum uindex, uindexq. bonorum.*
*Quadraginta illi, uitasque, & crimina diſcunt,*
*Et ſolido inuicti leges adamante notatas*
*Praefracte obſeruant: non illos gratia flectit*
*Parta prece, aut pretio: perſtat ſententia ſemper.*
*Nobilibus, populoq. humili fauor omnibus idem.*
*Nil fumoſa ualent antiquae ſtemmata gentis;*
*Nil, niſi maiorem quod maior poena coercet.*
*At, quibus incumbit legum tutela ſacrarum,*
*Concilium faciunt, quo non ſacratius ullum,*

*Illibata*

*Illibata uetans uiolari iura pudicae*
*Virginis Aſtraeae, Themidisq. potentis honorem*
*Intactum penitus ſeruant: hinc nomina ducunt.*
*Hic neque patronus uel egeno defuit umquam.*
*Quippe nefas indefenſum damnare nocentem,*
*Indictaque, etiam ſceleroſum, plectere cauſſa.*
*Nulli priuato nomen deferre ſinit lex.*
*Hi ſoli accuſant, quibus eſt uindicta tributa*
*Publica, qui iugi ſtudio, curaq. laborant,*
*Ne cuiquam liceat graſſari impune maligno.*
*Acribus impugnant animis delicta, nec ullo*
*Summa relaxari patiuntur iura fauore:*
*Nec prius abſiſtunt grauibus contendere uerbis,*
*Quam uel poena ſacro fuerit decreta Senatu;*
*Vel ſuper inſonti ſententia laeta feratur.*
*Adde Auditores pariter, ueteresque, nouosque,*
*Adde Triumq. uiros, & quorum annona tributa eſt*
*Peruigili ſtudio; adde etiam commiſſa ſalutis*
*Publica cura quibus, ſaeuaeq. auerſio peſtis.*
*Sunt hic Cenſores tetrici, rigidiq. Catones.*
*At Dictatores nulli; nulliq. Tribuni;*
*Nullus Auentinus Venetis; nullusq. Sacer mons;*
*Sicinius nullus; uulgi ſeceſſio nulla.*
*Maieſtas tamen hic ſacroſancta, & nobile plebis*

Romanae ſpecimen remanet, frenumq. Senatus,
Libera nobilium ne plebs iuga dura ſubiret,
Vnde mali labes, unde omnis cauſſa tumultus,
Roma, tibi, unde graui tandem es concuſſa ruina.
Praeterea eſt aliud medium genus; ordoq. in vrbe,
Patricio minor, at Plebeio maior; honores
Cui ſanxit proprios ueterum prudentia Patrum.
Hi tibi erunt Veneti Ciues: at cetera turba
Plebs eſto: nec utriſque tamen ſua munia deſunt,
Verum pro meritis, & non diſcrimine nullo.
  Nam Venetos inter Ciues pars maxima abunde
Diuitijs, opibusq. fluunt; & puppibus altis
Barbaricas referunt longinquo ex aequore merces:
Pars nec uirtutis, patriae nec lucis egentes,
Qui ueteri numerant ab Auorum ſanguine gentem,
Et priſcis inſcripta legunt ſua nomina faſtis.
  Ex horum clara non nulli claſſe leguntur,
Qui ſacra excipiant magni conſulta Senatus,
Et mandent fidis commiſſa arcana tabellis,
Omnibus interſint decretis, omnia norint
Conſilia, & ſenſus prius alta mente repoſtos
Secretis ſeruent animis, ac pectore condant.
Hinc a Secretis nomen duxere tegendis.
Vt Proceres, ſanctis ueluti ſub teſtibus, intra
Iura-

*Iuratae metas fidei communia tractent.*
*Scribas ſola creat grauium bis quinq. virorum*
*Curia uirtute inſignes; probitate, fideq.*
*Praeſtantes, ſtudijsq. excultos; qui ſua poſſint*
*Proferre in patriam benefacta, obitosq. labores,*
*Maiorumq. fidem. memores nam facta parentum*
*Egregie Veneti recolunt, gratiq. reponunt,*
*Magnaq. cum magno Scribis ſtatuuntur honore*
*Praemia: ut haud ſortis pigeat, nec muneris illos,*
*Quos Populo, & Patribus caros ueneratur, amatq.*
*Plebs omnis, grauium ut conſortes conſiliorum.*
*Nec Plebem, nec Patricios hoc munus obire*
*Iura ſinunt: nullisq. huius conceſſa poteſtas*
*Hoſpitibus: non ſi Delo, Cyrraq. relictis*
*Aequoream proles Latonia praeferat urbem,*
*Aut ſpreto ueniat caelo Cyllenius ales.*
*Scribarum e numero (tantae eſt electio molis)*
*Non ipſi bis quinque uiri; at comitia magna*
*Secernunt unum, toto incumbente Senatu,*
*Conſpicuum meritis, morum grauitate uerendum,*
*A Cancellando cui factum nomen: & illum*
*Suſpiciunt Scribae reliqui, & mandata faceſſunt;*
*Aſſurgunt, & Patricij, ipſeq. Principi, & illis*
*Pro magno aſſurgit titulo, qui ex ordine lati*

*Sunt*

*Sunt claui, & res aut urbis, ual ſacra procurant,*
*Vnde ſuum quoque nomen habent. hoc nuper honor*
*Deliciae populi, magnum decus urbis, & ingens*
*Cordatae gentis Scribarum gloria, quo nil*
*Doctius, aut umquam melius natura creauit,*
*Cunctorũ applauſu (quamquã haec uix praemia tanto*
*Digna uiro) ornatus priſca de gente* IOANNES
FORMENTVS, *Venetae decus, & lux altera gentis.*
*Electum extremam uitae comitatur in horam,*
*Quin & perſtat honos etiam poſt aſpera Fata.*
*Nam Plebe, & Populo, in luctu, totoq. Senatu*
*Atrato, & triſti ſuper omnes Principe, corpus*
*Effertur magna Patrum comitante caterua:*
*Et Marci in platea poſitum, Ducis inſtar adempti,*
*Tollitur elato ante aedes ter ad aſtra pheretro.*
*Iuſtaq. ſoluuntur magna ſollemnia pompa.*
*Deinde, pijs ſacro iuſtis de more peractis,*
*Defuncti egregias uirtutes, claraq. facta*
*Suggeſtu orator memorat facundus ab alto.*
*Tota cohors docto pendet dicentis ab ore,*
*Exſtinctiq. auida laudes bibit ore ſupremas.*
*Tanti ſit Venetis Scribarum Antiſtes, & ordo,*
*Praeſtantis clara Populi de claſſe creatus.*
*Imae ſunt etiam Plebi ſua munia, habetq.*
*Praeſe-*

Praefectos ars quaeque ſuos ex ordine Plebis,
Qui lites dirimat leuiores, iura magiſtris
Artis praeſcribant, quae ſit ſeruare neceſſe.
Praefectis ſubſunt alij quoque, Plebsq. ſub illis
Laetos laeta dies tutoribus exigit: omnes
Spectatae ſiquidem uitae, morumq. leguntur,
Qui praeſint. placet hoc ſibi munere tertius ordo,
Imperioq. ſuo gaudet contentus, & arte.
Sic nihil eſt, quod uel Populus, Plebsue ima queratur
Vel Princeps, uel Patricij. Sic nexa uiciſſim
Inter ſe alternis uincta eſt Reſpublica nodis,
Vt tam firma queant uix umquam uincla reſolui.
Cetera non urbana tibi, non extera dicam
Munera; quae nullo poſſim concludere uerſu.
Ambitus hic nullus, nulla eſt prenſatio patrum.
Diuiſor procul hinc ualeat, tribuumq. redemptor.
Hic neque diuitijs locus, aut popularibus auris.
Aetati defertur honos, & ſeſſio, ciues
Virtute excepta nullo diſcrimine aguntur.
Par amor, & ſtudium recti, mens omnibus una eſt,
Publica priuatis praeponere commoda rebus.
Patricios Plebs ipſa colit, Plebemq. tuetur
Nobilitas, felix haec Principe, Duxq. Senatu.
Qualis Apum nullo concordia rupta tumultu,

Corporis

*Corporis unanimi Venetum Reſpublica talis.*
*Cui (quamquam illuſtres) priſci non illa Seſoſtris,*
*Nec quae Diuino quondam eſt commenta Platoni,*
*Nec noua quae Moro nuper depicta Britanno,*
*(Si uera Vtopia eſt) merito contendere poſſint.*
*E cunctis delegit enim quaeque optima rerum.*
*Daedala ſicut apis, luſtrat dum florea rura,*
*In uarios nunc huc flores, nunc aduolat illuc,*
*Praecipuosq. noui delibat veris honores,*
*Ore legens quodcumq. iuuat, mox ingerit alueo,*
*Et de ſelectis ſtipat puriſſima mella.*
*Nam veteres quaecumque Sophi ſcripſere regendis*
*Apta ſuis populis, ueri ſimulacra fuerunt*
*Omnia: quae ſapiens Venetus re praeſtitit ipſa,*
*Tam ſuperans illos, quam uero diſtat imago.*
*Promouere alij longe, lateq. patentis*
*Latius imperij fines terraque, marique,*
*Gentibus & uictis tumidi noua iura dedere,*
*(Credo equidem, nec uana fides) rerumq. potiti*
*Inuictas dextra terras tenuere ſuperba*
*Paene omnes: ſed ſtare diu uiolentia neſcit.*
*Sollertes ditione ſua moderatius uti*
*Nouerunt Veneti, longumq. extendere in aeuum*
*Ad ſeros (ſic ſtat Superis) ſua ſceptra nepotes.*

Pace

*Pace tua dicam forti ſtabilita Lycurgo.*
*Et quae fundata es ſapientis mente Solonis,*
*Quaeq. tuis magnum domuiſti uiribus Orbem,*
*Dum caput orbis eras, dum rerum maxima: ueſtri*
*Pauca (fide maius) uixdum ueſtigia reſtant;*
*Actaq. ueſtrorum uix nunc referuntur auorum.*
*At tu aeterna manes Venetum Reſpublica, nulla*
*Interitura die, nec enim poſt condita ſaecla*
*Publica res umquam tam multos floruit annos,*
*Totq. inter Reges, tellure, ſaloq. potentes,*
*Tot coniuratos Venetam reſcindere gentem,*
*Libera regnat adhuc, ſaeuisq. intacta Tyrannis,*
*Moribus uſa ſuis, & numine tuta Deorum,*
*Totius Europae contraria reppulit arma;*
*Tempore, quo diras interritus incola uidit,*
*Nec timuit ferro accinctas, flammisq. cohortes,*
*Quas ſecum Italiae terror ferus Attila duxit.*
*Tunc alta Altini cecidere a culmine tecta.*
*Tunc Aquileia ruit, tunc moenia celſa Opitergi,*
*Aequataeq. ſolo Troiani Antenoris arces.*
*Tu quoque Carnorum cadis hoc Concordia bello.*
*Cur alias memorem Hadriaci tot litoris urbes,*
*Quas Geticis uoluere Dei ſuccumbere telis,*
*Surgeret ut uaſtis, uelut urbs emerſa, ruinis?*

*Haec*

*Haec decus Italiae, roburq. unum omnia contra*
*Agmina Graecorum, Mahumethanasq. phalanges.*
*Heu quoties pubem mouit furibundus Eoam*
*Turca faces, ignemq. ferens, tam longa peroſus*
*Imperia, & ſolam tot ſeſe opponere regnis*
*Vrbem indignatus, Xerxeaq. caſtra ſupremum*
*Huius in exſcidium traxit pelagoque, ſoloque,*
*Caſtra quibus nequeant, uel ſi glomerentur ad unum*
*Omnes Chriſticolae, aduerſis obſiſtere ſignis:*
*His ſeſe oppoſuit Venetum ſapientia turmis*
*Saepius, & tantos uaeſanae ſo la furores*
*Excepit gentis, faſtusque, animosq. tumentis*
*Conſilio uigili, & prudenti mente repreſſit,*
*Vt, qui commotis illiditur aeſtibus agger*
*Incumbens pelago, fluctus eludit, & agros*
*A tergo oppoſita tutatur mole iacentes:*
*Qua ſine reſtagnent tota regione lacunae;*
*Et late immerſis putreſcant ſemina glebis.*
*Tu quoque praeſidiũ Europae, tu prima proteruos*
*Excipis aſſultus, furibundaq. conteris arma,*
*Cunctando uincens inuictae robora pubis.*
*Vſque adeo immenſas ſuperat ſollertia uires.*
*At, cum bella manus poſcunt, ferroq. geri rem*
*Vtilius: ſummis conatibus itur in hoſtem.*

*Nam-*

*Naupacti nuper locuples uictoria teſtis.*
*Gens Venetum, Phrygia, ſeu Galla ſtirpe feratur,*
*Aequat auos factis, tanti non degener ortus.*
*Felix prole ſua, atque Heroibus inclyta magnis.*
*Facundis fecunda uiris te,* BEMBE, *creauit.*
*Te quoque,* NAVGERI, *uates duo lumina Phoebi,*
*Queis ſimilem eloquij tribuit uim Pleiade natus.*
*Claues uterque ſuis toto micat orbe libellis.*
*Praeterea linguam illuſtrat dum* BEMBVS *Etruſcã*
*Maximus, ante alios exſortem duxit honorem,*
*Idem purpurei decus immortale Senatus*
*Annales patrios ornauit diuite uena.*
*Hic te grandiloquo ſuſpeximus ore tonantem,*
BAPTISTA EGNATI, *& torquentem fulmina linguae,*
*Quae uel tela Iouis ualeant lenire triſulca.*
*Ecquid non meruit famae facundus, ut Hermes,*
*Barbarie a uicta cui nomen* BARBARVS *aptum?*
*O quam magna tulit pulſa de gente trophaea?*
*O quot barbaricos ſuperato ex hoſte triumphos?*
*Quod ſcrutareris Sophiae penetralia, grande*
*Et decus, & nomen tibi,* CONTARENE, *paraſti*
*Clarius, antiqua quamuis ab origine ductum,*
*Alter Ariſtoteles naturae arcana recludens.*
*Adde, quod &, Venetum quae ſit Reſpublica, pandis,*

*Quiq.*

*Quiq. Magiſtratus, qui Dux, & quae imperij uis.*
*Patricia de gente, Ducumq. e ſanguine cretus*
*Sis licet, o* VENERI, *tituliſq. inſignis auorum:*
*Quis tamen in Veneta natum te dixerit vrbe?*
*Cum facias Tuſca diuina poemata lingua,*
*Iudice uel Phoebo Tyrrhenis terſius ipſis,*
*Quo uitreus ripis reſonantibus alluit Arnus.*
MANNVCCIOS *ne ſua tacitus ſine laude relinquā?*
*Qui Graias, Latiasq. ſibi adſtrinxere Camoenas*
*Tot meritis, ueterumq. inſtaurauere labores*
*Pierios: imis quos exciuere ſepulcris,*
*Deterſoq. ſitu miſere in luminis oras.*
*Quinetiam aeterna uicturum in ſaecula nomen*
*Ingenio peperere ſuo, ſcriptisq. diſertis.*
*De te pauca loquar, Venetae decus vrbis, & Orbis*
*Ornamentum ingens, proles digniſſima caelo,*
ALDE, *Aldum qui reddis auum, Paullumq. parentē*
*Moribus, & ſtudijs aequas: ſuperabis utrumque*
*Doctrina, eloquio; paucos modo Iuppiter annos*
*Creſcenti famae, ſanctisq. laboribus addat.*
*Quid relliquos dicam, quorum ſi nomina quaeras,*
*Haud ſatis una dies; citius ruet Oceano nox,*
*Praecipitansq. mari caput occulet auricomum Sol,*
*Omnia quam referam. Quis enim numerarit ariſtas*

Gargara

*Gagara quot reddant, uel quot Methymna racemos?*
*Quid mirum, claros ſi tot Reſpublica ciues*
*Haec tulit: indignis ubi nullus honoribus umquam*
*Fit locus; at meritis implentur ſortibus urnae?*
*Nam ſperatus honos neglectas excitat artes,*
*Nec molles animis ſtimulos mouet aemula uirtus.*
*Mutuaq. e ſtudijs concordia naſcitur ijſdem,*
*Cum quiſque in commune bonum coniurat amice.*
*Vt caua teſtudo fidibus contenta canoris,*
*Summa ubi nil mediae, mediae nil diſſonat ima,*
*Quam doctis pulſat digitis crinitus Iopas,*
*Illicibus captas mulcet concentibus aures,*
*Et grata retinet uinctos dulcedine ſenſus:*
*Sic bene conueniens animo, bene conſona uoce,*
*Et Ducis, & Patrum, & populi conſenſio quadrat:*
*Namque Senatores plebem cum Principe iungunt.*
*Vt media extremis uincire elementa Platoni*
*Viſum eſt: quem deinceps Academia tota ſecuta eſt.*
*Vtq. hominem finxit nitidi fabricator Olympi,*
*Cui mare, cui tellus, aer, & ſidera parent,*
*Diuinam includens concreto in corpore mentem*
*Inter ſe diuerſa duo mira arte ligauit*
*Tergemino nexu, tripliciq. in parte locauit;*
*Nam iecur ima tenet, medio cor pectore clauſum eſt,*

*At cerebrum capite in celſo, uelut arce ſuperba,*
*Regni ſceptra gerit, ſubiectaq. membra gubernat.*
*Quae tria concordant animantũ in corpore, dantque,*
*Tutanturque datam per mutua munera uitam.*
*Nempe iecur calidum digeſto ſanguine, tamquam*
*Iugis riuus aquae, defectos irrigat artus,*
*Et molem ſenſim nutriti corporis auget:*
*Hinc Venus effrenis, potusque, cibiq. cupido,*
*Affluit innatus uitali a corde caloris*
*Spiritus; is ſemper ſua conceptacula pulſat*
*Sanguine commiſtus tenui, ſemperq. repulſat.*
*Sic pingues abigit fumos, uitamq. tuetur,*
*Et ciet accenſas animoſi pectoris iras.*
*A cerebro nerui, ſolis quibus inſita uis eſt*
*Senſus, & motus, maſſaeq. allabitur omni.*
*Totam praeterea molem diffuſa per artus*
*Mens agitat ſummis hominum pars proxima Diuis.*
*Hinc ratio, hinc artes, rerumq. ſcientia manat.*
*Mortalem ſuperat Diuina haec machina captum,*
*Attonitosq. triplex animos ea copula reddit.*
*Quae, quamquam diuerſa, tamen conſpirat in unum.*
*Hoc ſtabilita modo manet, aeternumq. manebit*
*Publica res Venetum, triplici compage reuincta*
*Corporis humani in morem, mirabile uinclum.*

*Dicere*

*Dicere non dubitem, ſi uerbo audacia detur:*
*Conuexo aſtriferi non eſt ſub fornice mundi*
*Nobilius quidquam; Veneta nil rarius urbe*
*Mundi oculus luſtrat, metas emenſus utrasque*
*Ergo Timanthaeo uelentur cetera more,*
*Cum maeſti haud potuit uultum expreſſiſſe parentis.*
*Materia ſuperatur opus, paruaeq. fatiſcunt*
*Mole ſub ingenti, ſub iniquo pondere uires.*
*Sed clara obſcurum, tenebras ceu Phoebus opacas,*
*Materies illuſtrat opus, lucemq. miniſtrat.*
*At uereor, dum tot cumulo praeconia laudum,*
*Ne uidear Solem caecis clarare tenebris.*
*Detuens, aut uaſtum guttis augere profundum.*
*O Superis dilecta domus, gratiq. penates,*
*Si colere has ſedes ciui mi fata dediſſent,*
*O placidus feſſae portus, requiesq. ſenectae?*
*Frangere me tali nauim ſtatione iuuaret.*
*Et, ni uincat amor patriae, pietasq. meorum,*
*Vitae optem reliquum, ſi quid ſupereſſe uolunt Dij,*
*Et ſtudia, & curas Veneta componere in vrbe.*
*O numquam vrbs laudata ſatis, licet alta feraris*
*Aſtra ſuper: nam, qui uerbis ſe credat honores*
*Poſſe referre tuos, cochleea quoque ſe putet aequor*
*Condere poſſe. Tuas qui laudes neſcius audit,*

*Miratur merito; ſed, te qui uiderit, illas*
*Adſpectu, ueroq. fatebitur eſſe minores:*
*Et quamquam ingentem, minuet praeſentia famam.*
*Tale tuum decus, & talis tua gloria, nulli*
*Par alij, tibi par uni, neque cedere cuiquam*
*Ni tibi ſola potes; quae cetera, te quoque uincis.*
*O cui humanarum cedunt miracula rerum*
*Quot ſunt, quot caeli quocumque ſub axe fuerunt.*
*O cuius ſplendore acies praeſtringitur omnis?*
*Quis potis eſt tantae radios admittere lucis?*
*Hic tibi pro ſumma ſint noſtra ſilentia laude.*
*Sic altam Criſpus laudat Carthaginis urbem.*

*F I N I S.*

*Quid multis? vno poteras ſi claudere verſu?*
*VRBE nil Veneta rarius Orbis habet.*

A D
# SERENISS· AC · SAPIENTISS·
VENETIARVM. PRINCIPEM
# NICOL· DE PONTE
E T
ILLVSTR. ATQ. PRVDENT. SENATORES
PATRICIOSQ. VENETOS
GERM· AVDEBERTI
## Carmen.

CVM *blandi aegrotis abſynthia taetra medentes*
*Porrexere, grauis ſubito ut ſedetur amaror,*
*Eoa expreſſos praebent ab arundine ſuccos,*
*Succos offenſi lenimen dulce palati:*
*Sic ego, qui uobis miſi rude carmen, amari*

*Multum aloes, & fellis habens; ut leniat omnem*
*Gratus amaritiem guſtus, nunc ſuauia trado*
*Pocula mellifluus quae* SANNAZARIVS *hauſit*
*Permeſſi ſacro de flumine: queis ſuperaddo*
*Nectereos latices* ALEALMI *grande ſonantis,*
*Et Charitum deprompta fauis puriſſima mella,*
*Hybla quibus, quibus ipſe ultro cõcedat Hymettus,*
*Quiq. fluit cannis blandiſſimus humor ab Indis.*

# ACTII SINCERI SANNAZARII DE · MIRABILI · VRBE VENETIIS

## Epigramma.

VIDERAT *Hadriacis Venetam Neptunus in vnd.s*
*Stare urbem, & toto ponere iura mari.*
*Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces*
*Obijce, & illa tui moenia Martis, ait.*
*Si Pelago Tibrim praeſers, vrbem aſpice utramque:*
*Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.*

---

# ΤΟ· ΑΥΤΟ
# ΤΟΥ· ΓΕRΜ·
# ΑΥΔΕΒΕΡΤΟΥ

Αδριακοῖς Ενετῶν ἐπιβλέψας κύμασιν ἵσταν
Αστυ Ποσειδάων, καὶ κρατέειν πελάγους,
Νῦν μοι Ταρπηΐας ὅαστον λῆς ἄντιθες ἄκρας
Ζεῦ, καὶ ἐκεῖνα σέθεν τείχη Αρηος, ἔφη.
Ει πόντου Θύμβριν προτίθης, ἀμφοῖν πόλιν ἄθρει,
Τὴν μὲν ἐρεῖς ἄνδρας, Τὴν δὲ θεοὺς θέμεναι.

# AD SERENISSIMVM DVCEM ET CLARISSIMOS. PATRICIOS VENETOS

Ob celebratas a

GERMANO· AVDEBERTO

aeterno carmine Venetias

GRATVLATIO.

DICITE *Io mecum, caeloq. intendite uoces*
*Conſcia laetitiae facturas ſidera noſtrae,*
*En tandem, rigidi quod adhuc cenſura parentis*
*Immerito a merita ſecluſum luce teneret,*
*Ipſe niſi indignans clauſtra effregiſſet Apollo*
*Exit opus, noſtro quo nullum largius aeuo*

*Com-*

Combibit Aonijs manantem e fontibus undam.
Fama, faue, totoq. erectis corpore plumis,
Quae ſubter latitant totidem ſimul ora reclude;
Et totidem argutas ſolue in praeconia linguas.
Ipſe tuis, non ante umquam iactantior, alis,
Marcius ecce ſuas iungens Leo, murmure lato
Infremit, & rutilum quatiens ceruicis honorem,
Aetherios iam iam ſe tollere geſtit in axes.
Alterno ut tecum magnum per inane uolatu,
Nunc petat Heſperios, tu Gangis ad oſtia tendas,
Nunc Baetim repetas, hic ſe conuertat ad Indos.
Tranſuerſis modo remigijs Rhiphaea peragret
Frigora, te medios Libyae tranante uapores,
Mox Tanaim ſuperes, hic Nilum a fonte requirat.
Vllam ne uideat Sol gentem, oriensue, cadensue,
Seu medio e ſpatio noſtras dum ſuſpicit Arctos,
Seu dum deuexos retro deſpectat in Auſtros,
Non Venetum, & noſtri reſonantem nomina vatis.
Hadriaci proceres, quorum prudentia nullis
Vrbibus, & nullis cedit fortuna Tyrannis:
Orbis deliciae, Diuum iuſtiſſima cura,
Vnica iam Romae ſuper armipotentis imago,
Sic populos, ſic illa togam, ſic bella regebat,
Sed non aequali uobiſcum perſtitit aeuo.

*Si quas melle ſuo generoſas gloria mentes*
*Afficit, ecquid erit pretij pro laudibus iſtis?*
*Gratia pro tanto quae par referetur honore?*
*Ipſa quidem, ut uirtus uirtuti maxima merces,*
*Sic ſummum Muſa eſt pretiũ ſibi, nullaque, cum ſit*
*Ipſa immortalis, mortalia munera curat.*
*Hoc docuit fidicen, paſſae quem lentior vuae,*
*Faucibus obſtructis, acinus ſub tartara miſit,*
*Miranti Samio cum quinque talenta Tyranno*
*Reddidit, inſolita ſomnos rumpentia cura.*
*Nec non praecipui uatum, diuinus Homerus,*
*Aſcraeusq. ſenex, ſua quos dilectior omni*
*Libertas cenſu, quaeſitaq. gloria, ſuaſit*
*Spernere amicitias, & barbara munera Regum.*
*Sed, ſi Virgilio, numeratis uerſibus illis,*
*Immatura quibus Marcelli funera luxit,*
*Aequali numero ſeſtertia dena rependit,*
*Innumeris ſed cum lacrymis, Octauia mater:*
*Et ſi ſquamigerum capturas, atque ferarum,*
*Aucupijsq. artes, mellita uoce canenti*
*Extorrem, nato, cum re, cenſuq. parentem*
*Reſtituit magni proles augusta Seueri:*
*Auratum adijciens in ſingula carmina nummum:*
*Vos grati minus, aut haec inferiora putatis?*

*Nec*

*Nec tamen a nobis (proceres) haec credite dici,*
*Talia quod noſter poſcat ſibi praemia Vates.*
*Poſcant illi, habeantq. quibus uel ſorte maligna*
*Res anguſta nimis, uel nulla modeſtia uoti.*
*Nõ animus tã humilis, nõ tã huic fortuna nouerca eſt,*
*Vt uel opes deſint, uel non contemnere poſſit.*
*Denique nõ noſtrũ ſuper his praeſcribere quidquam,*
*Arbitrij hoc ueſtri eſt, uobiſcum ea cura maneto.*
*Quod monuiſſe licet, ſi dona referre paratis,*
*Quae grata, aptaq. ſint, non tam uos illa parate*
*Quae ditare queant, quam quae illuſtrare ferentem.*
*Eſt data laus uobis, & uos quoque reddite laudem,*
*Reddite conſpicuos, ut & accepiſtis, honores.*
*Ergo ut laudatis ales Dircaeus Athenis*
*Poſt ſua fata diu permanſit in aere ſuperſtes,*
*Sic maneat ueſtra, qui uos laudauit, in vrbe,*
*Noſter Dircaeo non impar Cignus Olori.*
*Non aere, aut ullo ſpirans licet ille metallo,*
*Obſcuro graſſante ſitu ne longior aetas*
*Deformet pulchros ſcabra rubigine uultus,*
*Sed Pario de monte nitens, inuictus ut annis,*
*Atque ipſi aequaeuus lapidi, candorque, nitorq.*
*Conſimiles animi niuea ſub imagine mores*
*Exprimat, & ſeros tranſmittat ad uſq. nepotes.*

*Diſcolor,*

*Diſcolor, una modo faciat diſcrimina, laurus,*
*Amplectens uiridi canentia tempora fronde.*
*Aureus & duplici decurrens tramite limbus*
*Ambiat extremas albi uelaminis oras:*
*Blandus in ore decor, grauitati iungat amorem*
*Coniugio tali, ne uel reuerentia, iuncto*
*Fiat amore minor, uel amor minuatur ab illa.*
*Dextra ferat calamos, magno quos ante Maroni*
*Donarant Muſae, ſed eo moriente receptos*
*Seruauere diu, non adueniente ſecundo.*
*Laeua, aut Palladiae ramo frondeſcat Oliuae,*
*Aut ab Idumea direpto termite Palma.*
*Ipſe autem, longum ſortitus in aequora curſum*
*Celtarum populos, & magnas qui rigat vrbes,*
*Teq. alias inter cor tanti Aurelia Regni*
*Diues prole uirum, diues quoque munere frugum*
*Sed re plus nulla, quam tanto diues alumno,*
*Ima pedum tota Ligeris pater alluat urna.*
*Fortunate amnis, non iam tibi Strimon, & Hebras,*
*Treiciam obijcient citharam, non unda Cayſtri*
*Cigneas uoces, non Xanthus carmina Phoebi.*
*Alba quoque huic ſtatuae, ſplẽdẽsq. colũna ferẽdae,*
*(Vt totum ſibi conſtet opus) quaeratur & ipſa*
*De Parijs exciſa iugis, quam uimine torto*

*Vndi-*

*Vndique complexus circum ſe uoluat acanthus,*
*Alternis hederis, & uitibus intertextus.*
*Vite uuas, grauidos hedera geſtante corymbos,*
*Et teretes ipſo baccas qui geſtat acantho*
*Inter quae, uariis uolitent inſecta figuris,*
*Aut reptent ramis, & cunctis frondibus errent,*
*Artificis ludente manu; ſic deinde locetur*
*Illo ipſo ſpectanda loco, ſpectatur ubi ingens*
*Collio frena tenens, quantus uel Bellerophontes*
*Pegaſeis uectus pennis per nubila fertur,*
*Cyllareo aut raptus tergo per ſidera Caſtor.*
*Et cur qui ſtudiis unam communibus ambo,*
*Quamquam diuerſo ſectantes Pallada curſu,*
*Rem, famamq. ſuo uotis peperere labore,*
*Iiſdem non etiam decorentur honoribus ambo?*
*Nec certe hunc comitem bonus aſpernabitur Heros,*
*Sed longe occurret uenienti, ac ſe offeret ultro.*
*Vt non tam acceptus nautis ingentibus Orpheus*
*Peliaco intrarit prognatam uertice pinum:*
*Scipiadum magnis nec tam exſultantibus umbris*
*Conſortem intulerit tumulo pater Ennius umbram.*
*Quinetiam, adſpecto tanto praecone ſuperbus,*
*Solibus, & nimbris ſqualentem ponet amictum.*
*Oraq. concreto nigrantia puluere terget.*

*Sic*

*Sic poſitis nouus exſuuiis, auroq. recenti*
*Perlitus os, humerosque, & totum a uertice corpus,*
*Subdet equo ſtimulos, totasq. immittet habenas*
*Ipſe equus, arcano repletus membra uigore,*
*Altius aſſurgens, uibrabit in aera pectus,*
*Ceruicemq. iubis, atque ardua colla flagellans,*
*Et patulis efflans luctantes naribus ignes,*
*Spectantum eludet falſis hinnitibus aures,*
*Atque exſpectato ſuſpendet lumina ſaltu.*

Auctore Clariſsimo Viro
LVDOVICO ALEALMO,
Conſiliario Regio,
& Aurelianae Prouinciae Praeſide
Integerrimo.

AD

GERMANVM · AVDEBERTVM

DE

# SVIS VENETIIS

## Idem

LVDOVICVS · ALEALMVS

CONSVMPTA *Argolicis iamdudum Pergama flammis*
*Quaerebant ipſi, qui poſuere, Dei.*
*Nullaq. iam, tantae cernentes ſigna ruinae,*
*Sed nemus & denſos cuncta tenere rubos.*
*O facilis (dixere) nimis, natura Deorum?*
*Et nimis ad uanas obſequioſa preces?*

*Nam*

*Nam, quae cauſſa fuit, Diuinos uelle labores.*
*In mox caſura perdere materia?*
*An quia uel Graius lapides non conficit ignis?*
*Vel poſſunt noſtrae uincere fata manus?*
*Nunc age, tentemus noua condere moenia; quae nos*
*Ipſa uel aeternum fata manere uetent.*
*Nec mora, deſerta, Euris aſpirantibus, Ida*
*Tranſiliunt Helles nobile morte fretum.*
*Et ſupra Illyricos vecti, ſupraq. Liburnos,*
*Tangunt Euganeo proxima rura iugo.*
*Nec placuit tamen his, aut ullis ſidere terris,*
*Sed ſtatuere, ſolo tutius eſſe ſalum.*
*Ergo Phrygum quod erat ſparſum Phaetontide ripa*
*Vt tandem Hadriacis compoſuere vadis.*
*Haec mea, ſint uobis maris arbiter, aequora muri*
*Dixit, an hos etiam Dorica flamma petet?*
*Tum Phoebus, qua ſaxa mouet, qua flumina ſiſtit,*
*Carmine tentauit proſperiore lyram.*
*Vrbs humilis Venetum quo creſcens omine, poſſet*
*Surgere ſeptenis aemula uerticibus.*
*Audijt, & plauſum longe dedit, Illia tellus,*
*Et gemuit uerſas Graecia maeſta ciues.*
*Sed ſparſum in tenues carmen diffugerat auras,*
*Cumaeae ut vatis ſparſa uolant folia.*

*Ni tibi (docte ſenex) reuocandi cura fuiſſet,*
*Manſurum aeternis tempus in omne notis.*
*Vt, uelut Hadriaco res ſtat ſine fine profundo,*
*Verſibus his Venetum ſtet ſine fine decus.*

CLARISSIMO. VIRO

# GERMANO · AVDEBERTO

CONSILIARIO REGIO,

## & Vectigalium, Indictionumq.

apud Aurelios Iudici,

## magno Veneti nominis Praeconi,

ANIANVS . DECONTIVS

SIc *agili ſulcas Venetum uada lubrica puppe,*

*Sic celer implicitas isque, redisq. uias.*

*Sic facili celebras vrbis miracula verſu,*

*Quae medio emergit conſpicienda ſalo.*

*Sic nulli tentata prius ueſtigia calcas,*

*Daedaleae referens abdita clauſtra domus:*

*Indigenam ut merito nullus non credat, & vrbe*
*Eductum domina litoris Hadriaci.*
*Sed poſita ad Ligeris medios Aurelia curſus*
*(Non ſatis o patriae magnae poeta memor)*
*Eduxit clara ciuem te ſtirpe, reuinctum*
*Nunc etiam grata compede cara tenet,*
*Et poſt formatos pulchro cum corpore mores,*
*Iam factum gentes miſit ad Auſonias.*
*Quas doctrinae ut dem quidquam adieciſſe priori,*
*Structuram excepit iacta ſed ante baſis.*
*An ſatis eſſe putas, alto dum muſa cothurno*
*Laudibus externis luxurioſa fluit,*
*Si ſtrictim attingas patriae praeconia pauca,*
*Ne forte illius non uideare memor.*
*Siccine ad externos durus nutricia transfers?*
*Neglectoq. tuo rura aliena colis?*
*Anteit & caris natalibus hoſpita tellus?*
*Cum Spartam nacto Sparta colenda foret.*
*At, credo, externa ſolum praeludis in vrbe,*
*Inq. tuo patriae pectore cura ſedet.*
*Et mox muſa tibi cantu grauiore ſonabit,*
*Audiet & laudes patria laeta ſuas.*
*Id manes a te repetunt utriuſque parentis,*
*Id nati, coniux id quoque cara petit.*

*Id*

*Id longe poſcunt omnes ex ordine amici,*
*An potes ad tantas impius eſſe preces?*
*Poſt Troiam magnae dixiſſet moenia Romae,*
*Nec ſua Virgilio Mantua nulla foret,*
*Si paucos annos, poſt tam praeludia clara,*
*Donaſſent vati non pia fata pio.*
*Imperijs ſic tu recreas qui mitibus agros*
*Vomeris, & cuius munere durat honos.*
*Si das hoc alijs, patriae, iuſtiſſime, reddes*
*Fenore cum magno, quod dedit illa prius.*
*Ergo age, & ingratus ſpe nos ne conſice lenta,*
*Gratia ſed geminet gaudia noſtra celer:*
*Haud illaudata eſt tibi patria, Regia quondam*
*Produxit latis finibus imperium.*
*Nunc quoque ſaepe ſuos ad regna remittit auita*
*(Si deſint nati regibus) illa duces.*
*Quid ſic ad patriae ſuſpiras nomine maeſtus?*
*Indigenam ne tuis uerſibus eſſe putas?*
*An medicum laudes, qui morbum ploret ad aegri,*
*Nec triſti admoueat pharmaca ſera malo.*
*Collapſa haud adeo eſt, ut non uiuatque, feratque,*
*Fortiter indigni perfida damna mali.*
*Speret & antiquum Rege aduentante ualorem,*
*Cui pridem curae eſt publica ſola ſalus.*

*Quod ſi facundae addideris ſolatia muſae,*
*Quae quos uult Stygijs eximit alma uadis;*
*Aurea quae nunc eſt* AVRELIA *nomine ſolo,*
*Conſurget numeris aurea facta tuis.*

# IN · VENETIAS

## CLARISSIMI · VIRI GERMANI · AVDEBERTI AVRELII

### Ioannes Aſſelineus, Doctor Medicus.

*VT primum proauis ignotas nauita terras*
*Luſtrauit, tandemq. ad litora nota reuertit;*
*Luſtratum radio deſcribit ſedulus Orbem,*
*Securos portus, aditusque, ſitusq. locorum,*
*Agreſtes homines umbroſis degere ſiluis*
*More ferae, narrat; laxaq. pudoris habena*
*Connubij nulla conſtrictos lege teneri,*
*Ac recubare caua ſomno ſub rupe ſepultos,*

*Et ructare cibos, inaratae munera terrae;*
*Indocilesq. feris ſubmittere colla Tyrannis;*
*Fenoris expertes, & nulla lite beatos,*
*Hinc nec iura datis proſtant uenalia donis;*
*Saepe ſibi uiſis addens mendacia monſtris,*
*Summaq. perſequitur tantum faſtigia rerum.*
*Attonitum pendet uulgus narrantis ab ore.*
*Creſcit amor, ſtudiumq. uiris inuiſere terras*
*Deſcriptas, hominumq. nouos cognoſcere mores.*
*At ſecus hic Venetos annales Gallicus Orpheus*
*Explicat, atque urbis cunabula prima reuoluit,*
*Ordine cuncta ſuo referens ita diuite uena,*
*Pegaſidum ut totos dicas hauſiſſe liquores;*
*Vrbis ſiue ſolum memoret ſtagnante palude,*
*(Sunt ubi pro portis riui, pro moenibus aequor)*
*Siue Ducum turrita palatia, ſiue ſuperba*
*Templa canat, procerũ ſeu ſtemmata feta triumphis,*
*Siue magiſtratus, leges, ſuffragia, & vrnas,*
*Vrnas captandi retinacula tuta fauoris;*
*Ingentis laudes ſiue intonet armamenti.*
*Vſque adeo potuit numeroſo carmine vates,*
*Vt Veneta captum lectorem ponat in vrbe,*
*Qui ſe oculis ſpectare putet, quae uerſibus audit.*
*Tanta legens ſtupet Hadriaci maris incola, quaedam*
*Saepe*

*Saepe recognoſcit non obſeruata uel ipſis*
*Indigenis ; quid non mortalibus improba praeſtet*
*Cura? laboratis numeris ſic omnia fecit*
*Maxima : feciſſet multo maiora poeta,*
*Si quidquam in toto praeſtantius Orbe fuiſſet.*
*Vnum autem hoc uereor, certo tamen auguror, vrbis*
*Nec deſiderium poſthac, nec cauſſa uidendae*
*Cuiquam erit: An ne aliquis ſumptus, durosq. labores*
*Perferat? an uaecors Alpina cacumina tentet?*
*Cum Superum huc magico transferri carmine pontũ,*
*Et Venetas enare arces Aurelia cernat.*

# AD
# LECTOREM
## IN
# VENETIAS
## GERM. AVDEBERTI. AVRELII

Conſiliarii Regii, & Vectigalium,
Indictionumq. apud Aurelios
Primarij Iudicis,

## Carmen.

*QVI Legis haec magni diuina poemata vatis,*
*Accipe quae referam. Venetum ſub imagine ſola*
*Hic uere abſtruſa eſt Sophiae pars optima: ſed quae*
*Vna poteſt acies animi comprendere, primos*
*Maximus ille Plato cui conſecrauit honores:*
*Auxit Ariſtoteles diui documenta magiſtri.*

*Et*

*Et quae, ſi patriae pietas te tangit amatae,*
*Spõte implẽda putes; uelut a Xenophonte Monarcha*
*Pingitur, & qualis docto Reſpublica Moro;*
*Omnia ficta tamen. Nullis Politeia feraris*
*Exemplis meruiſſe fidem? Dominam ue potentem*
*Imperio caruiſſe rear? cum Diua per omnes*
*Sis ſpatiata locos, Venetis tibi ſiſtere tandem*
*In terris uiſum, atque urbi tua numina Soli*
*Pandere, quae totus fruſtra ſperauerat Orbis.*
*Facta loquor, factis fingentes cedite vates,*
*Vel tu qui Aeneam, vel tu qui fingis Vlyſſem.*
AVDEBERTVS *enim memorat uera omnia, quae tu*
*Garrula mendaci iactaſti Graecia laude,*
*Quaeq. laborato mirata eſt carmine Roma.*
*Nam, ſimul ac medijs Politeiam uidit in undis*
*Aeternas Veneto poſuiſſe in litore ſedes,*
*Iura illinc populis dantem terraque, marique,*
*Inſperata ſacrae deſcripſit munera nymphae,*
*Quae manibus palpes, oculis quae cernere poſſis;*
*Temperiem nempe ex claro, ſanctoq. Senatu,*
*Principeq. eximio iuſtiſſima ſceptra gerente,*
*Conſilio & magno, rerum cui ſumma poteſtas.*
*Hanc ſors, hanc uirtus, hanc uera electio, corpus*
*In ſolidum cogunt, Orbi uenerabile corpus.*

*Non*

*Non potes incluſos deprendere cortice ſuccos?*
*At folia, & ſparſos ſaltem circumſpice flores,*
*Quod mireris erit; ſub arundine clauditur iſta*
*(Quam prudens dulcem agnoſcet latitare) medulla.*

Auctore
RAYMONDO . MASSACO
Doctore Medico
excellentiſſimo.

# IN
# DOCTISS VIRI
# GERMANI AVDEBERTI
## CONSILIARII REGII,
## ac Vectigalium, Indictionumq.
## apud Aurelios Iudicis,
# VENETIADA.

NEPTVNVM *Impactis domuerunt molibus olim*
*Audaces Veneti: ceſſit Neptunus & illis,*
*Aeternisq. dedit circumdare moenibus vrbem.*
*Hinc Thetis, hinc Veneti, ſocialia ſoedera firmant*
*Muneribus, quae uix, & parce Daedala Tellus*
*Emittit: Nam rara legunt, atque obuia temnunt.*

*Illic*

*Illic Palladias quodcumque ornauit Athenas*
*Enitet, antiquam quod Romã, quodq. Corinthum,*
*Quod Spartam, & gentes alias quocumq. ſub axe*
*Reddidit illuſtres, illic ſpectatur abunde.*
*Nil tamen eſt bello raptum, uel ſanguine partum,*
*Sed tot opes Venetis commercia iuſta dedere:*
*Atque ita, diuinis cumularunt dotibus vrbem*
*Di Superi, Thetidis ſponſam, dominãq. profundi.*
*Sed, qui illam digno celebraret carmine vates,*
*Deerat adhuc: Phoebũ aggreditur Neptunus, & orat,*
*Exhibeat, qui tanta canat miracula, Vatem:*
*Id quoque ut expediant, fluuios ad ſe aduocat omnes.*
*Ecce, ſinu e medio Ligeris, caput extulit ardens*
*Phoebo, inter ſocios Electus, Apollinis hoſpes,*
*Gentibus Occiduis gentes qui aduexit Eoas,*
*Suſpicienda daret Venetum ut miracula Gallis;*
*Carmine ſublimi longa interualla locorum*
*Iungens, ad Ligerim Venetorum tranſtulit vrbem.*
*Cedant Aemoniae Muſis uictricibus, artes.*
*Hadria ad Oceanum deducta eſt carmine puro.*
*Sic Genabum Venetis iunxit ſine crimine Carmen.*

P. STVARTIVS, I. C. Aurel.

# IN · VENETIAS

## GERM · AVDEBERTAEI VATIS PRAESTANTISSIMI,

## Carmen.

Ex miro ipſius Anagrammate ductum.

GERMANVS · AVDEBERTVS

Anagramma.

VRBS. VENETA. A. ME. ADSVRGE

19.3.13.8. 10.18.6.14.16.5. 9. 4. 2. 17.11.20 7.15.1. 2.

*HActenvs vrbs Venetum, qua nil praeſtantius Orbis*
*Fertur in immenſo diues habere ſinu,*
*Delituit, Maris Hadriaci uix cognita ripis:*
*Norat & hoc tantum piſcis, & unda decus.*
*Ac, licet eximios vates, lauroq. decoros,*
*Italicae dederint aſtra beata plagae:*

*Nemo*

*Nemo auſus tamen eſt tantae ſe ſubdere moli,*
*Aut humeris pondus tam graue ferre ſuis.*
*Nam (teſtis mihi Pallas erit) Grynaeus Apollo,*
*Qui Muſae uoluit munus id eſſe tuae;*
*Illorum tanta mentes auertit ab urbe,*
*Suppeditans alias quas ſequeretur opes.*
*Ortus es interea felici ſidere vates,*
*Qui tantae ueheres vrbis ad aſtra decus.*
*Et, ſimulac natus, Phoebeo afflatus honore,*
*Prompſiſti haec roſeis proſpera fata labris,*
VRBS VENETA A ME ADSVRGE,*caput iā tolle ſupra ignes*
*Aetherios, debet te tuba noſtra Polis.*
*Vtq. probes (licet infantem) te uera locutum,*
*Et conſtans omen* NOMINIS *eſſe tui,*
*Hoc vrbem Venetum ſplendere Poemate claram,*
*Et toto ut celebris nota ſit Orbe, facis.*
*Quin numeris ſubuecta tuis*, ADSVRGIT *ab undis,*
*Fertur, & ad ſuperos, conſpicienda, Deos.*
*Ne ue aliquis credat quidquam diſcriminis eſſe*
*Ambabus, diſcat quis ſit utriq. decor:*
*Illam Nereides, illam Neptunus, ut eſſet*
*Vrbs mira, in medio conſtituit pelago.*
*Iſtam Pierides, iſtam Tymbraeus, ut exſtet*
*Mirum opus, Aonias condidit inter aquas.*
*Illam*

*Illam diuitiae Iunonis largiter ornant,*
*Illi multiplices ſunt quoque Martis opes.*
*Iſtam ample decorant doctae ornamenta Mineruae,*
*Iſti ſunt & quae maxima Phoebus habet.*
*Sed tamen iſta illam tandem ſuperabit honore,*
*Et merito iſtius gloria maior erit.*
*Illam etenim imminuet tempus, uoluentibus annis,*
*Vtq. vrbes reliquas, falce terente metet.*
*Aſt iſtam non poſſit edax abolere uetuſtas,*
*Non ferrum, aut ignis, non trucis non ira Iouis.*

Andreas Deroſsantius
Lugdunaeus.

# ORNATISS.

## ET · ERVDITISSIMO
## VIRO
# GERMANO · AVDEBERTO
## AVRELIO
## VERGIVSIVS · LANDVS
## PLACENTINVS.

*DVM Ligerimus olor Venetam fert laudibus vrbem,*
*Dulce peregrino fundit ab ore melos.*
*Admirans Neptunus ait; Quam robore Romam*
*Vrbs, doctrina vrbem Palladis ut ſuperat,*
*Sic Vates praeſtat Graios, praeſtatq. Latinos*
*Vate urbs, ut Vates dignus & urbe fuit.*
*Hoc vates maior, quod cunctis parcere tempus*
*Parcit, at aeternum carmina culta uirent.*

DE

GERMANO · AVDEBERTO

POETA . EXCELLENTISSIMO

GALLO

FABRICII . RESECI . BONONIENSIS

# Carmen.

CVM modo *Germani legeret Germania carmen,*
*Non iam, ait, Auſoniae Virgilium inuideo.*
*Gallia cui dixit, Temere o Germania gaudes,*
*Nomina te ſallunt: Hic meus, hic meus eſt,*
*Hunc genui, hunc alui, hunc ſtudijs melioribus auxi:*
*Ne tibi, ne Vates aſſere iniqua meos.*
*Erubuit, gemuitque, ac heu, Germania dixit,*
*Cur mihi non talem ſata dedere virum?*

---

# Eiuſdem Ad Eundem.

ADMIRANDAM *vrbem, Hadriacis quae regnat in undis,*
*Sic admirando carmine, Galle, canis;*
*Vt nihil admirabilius rear eſſe, uel ipſa*
*Vrbe, uel altiſono carmine, Galle, tuo.*
*Admirabilior tua ſit tamen vrbe Camoena:*
*Semper enim haec ſtabit, tempore at illa ruet.*

Non eſſe ueluti Patriae exprobrandas dotes,
quibus quiſque polleat.

# AD
# CLARISSIMVM · VIRVM
# GERM · AVDEBERTVM

excuſatum Carmine praecellentis Viri

## LVDOVICI · ALEALMI

Praeſidis apud Aurelios,

Quod Venetias potius, quam Aureliam
Patriam, laudandas ſuſcepiſſet.

SCILICET *id deerat titulis Aurelia priſcis,*
*Quod tanti genitrix non canerere uiri?*
*Haec tibi erunt poſthac magnae praeconia laudi,*
*Ad caelum partu clara ferere tuo.*
*At ſic iure nouo debebis patria natis*
*Quondam auguſta illis, & ueneranda parens.*

Cuius uix meritis poterat, deuota, cadensq.
  Pro patrijs aris uita ſatisfacere.
Nunc confidenti qui pauca haec pectore iactet
  Componens molli dulcia uerba ſono:
Ne uelut ingrato ſuccenſe Aurelia nato,
  Quod canere externae malluit vrbis opes,
Quam memorare tuas. nam nec tibi gloria maior
  Eſſe queat, tantum quam genuiſſe uirum.
Sat patriae tribuit gratus, ſatis ampla rependit
  Praemia, iam reliquis liber ab obſequijs:
Has tibi perſoluit nimirum Aurelia grates,
  Has agit egregius iſte Poeta tuus.
Aeternum illius Veneti per carmina uiuent,
  At te neglectam ponet in aere tuo.

# AD
# ERVDITISS.
## VIRVM
## ANIANVM · DECONTIVM
## NICOLAVS . AVDEBERTVS
## GERMANI . FILIVS

*HEv quid agis? caeco tantos quid*
*uulnere Vates*
*Afficis, & patrium per latus*
*enſe feris?*
*Quid tum, ſi Venetam genitor*
*meus extulit vrbem*
*Laudibus, intactam paene ſinens Patriam?*
*Nec ſua Maeonidae laudata eſt patria, ſed ne*
*Dicta quidem, cuias is ſit, adhuc dubium eſt.*
*Nec ſua diuino celebratur Mantua Vati,*
*Cui propria placuit laus aliena magis:*

*Et merito: quis enim ſanus ſua laudibus ornet,*
*Quandoquidem proprio ſordet in ore decus?*
*Quis ſcit, an e Venetis aliquando, Aurelia, ſurget,*
*Qui gratus nomen tollat ad aſtra tuum?*
*Quod ſi defuerit; per te ſatis ipſa reluces,*
*Nec poterat nomen clarius eſſe tibi;*
*Quod pater omnipotens nitido deduxit ab auro,*
*Vt rutilans auri fulgeat aura tui.*
*Ergo,* DECONTI, *ceſſa damnare parentem;*
*Ne ſimili damnes te quoque iudicio.*
*Neu uanum in patriae laudes impende laborem,*
*Quod neque tu dederis, fata dedere prius.*

# ANIANVS · DECONTIVS
## NICOLAO . AVDEBERTO

MENE vmquam potuiſſe tuum taxare parentem,
Qui uero ſemper cultus amore mihi eſt?
Me ne tot immeritos ueteres feriſſe poetas
Occulto patris per latus enſe tui?
Hoc ego ſi potui, potui ueneranda parentum
Pectora funeſta dilaniare manu.
Sic cari genitorq. tuus, cunctiq. poetae,
Sic mea tam foedo crimine uita uacat.
Contra, per ueteres tu me uerſute poetas
Confodis, atque in nos arma aliena moues.
Quod patriae laudes a claro ciue popoſci
Natali repetens debita iura ſolo;

Prae-

Praepoſui externis quod geſta domeſtica, & urbis
  Antiquos uolui noſcere ciuis auos.
Maeonides illinc, illinc Maro, parcite, nam uos
  Filius in me acuit uictus amore patris.
Nil hic eſt ſceleris, uincit praeſentia ueſtra
  Sola; iubet uictas & cohibere manus.
Ad ueſtros parmamq. pedes, haſtamq. repono,
  Et trepido ueneror nomina ueſtra genu.
Non erat hoc tanti, requiem turbaret ut hoſtis
  Sacratos manes ex Acheronte mouens.
Propitij aſsuetae remeate ad flumina Lethes,
  Elyſium reduces excipiatq. nemus,
Quid ſtatis, quem uos uoluiſtis uincere, uicit,
  Si uultis, de me nunc quoque uictor ouet.
Eſse decet carum, quem dignum Acheronte ſub imo
  Tam ſubita vates eſſe putaſtis ope.
Exſulta, uerſute puer, tutoribus iſtis,
  Viciſti incautum me ratione noua.
Si pugnare iuuat, dignam te ſelige pugnam:
  Emeritum terres quid, generoſe tiro?
Gloria proſtrato te parua ſequetur amico:
  Sum pridem inſcriptus patris in aere tui.

GERMANI · AVDEBERTI

AVRELII

# ad Nicolaum Filium,

ut eum ab Italia reuocaret,

ELEGIDION.

IAM *niue candenti caput inficit aegra ſenectus,*
*Verſaq. in argentum eſt aurea barba mihi.*
*Frons, facieſq. cauis iam finditur aſpera ſulcis,*
*Iam ſimilis buxo pallor in ore ſedet.*
*Adducenſq. cutem macies uultum arida turpat,*
*Ac uelut impreſſo concauat ungue genas.*
*Crebra ueternoſam tentant obliuia mentem,*
*Vt plerumque mei uix meminiſſe queam.*
*Emeriti ſumpſere oculi cryſtallina dudum*
*Auxilia: & cum oculis tardior auris hebet.*

*Iam*

*Iam minor eſt guſtus, iam lauta obſonia ſordent,*
*Nauſeaq. ingrati ſurgit in ore cibi.*
*Vana breuem turbant inſomnia ſaepe quietem,*
*Anxia mens falſis horret imaginibus.*
*Sic requies alijs, labor eſt mihi: ſuſtulit aetas*
*Tot bona, quot quondam ver iuuenile dedit.*
*Denique, quid ſenio ſupereſt, ni edentulus ut ſim,*
*Et mutilas uoces blaeſula lingua ſonet?*
*Numquid ut affectis uitales follibus auras*
*Cor trahat: & quatiat tuſſis anhela caput?*
*Numquid ut innatis tumeat ueſica lapillis,*
*Et grauidos renes calculus urat atrox?*
*Numquid ut incuruo ſtupeant in corpore nerui,*
*Et tremulis cogant artubus ire ſenem?*
*Numquid ut infirmos ſuſtentet Scipio greſſus,*
*Atque tripes reptem, mox etiam quadrupes?*
*Ac tandem Oedipodis ſublato aenigmate monſtrum*
*Bisq. puer fiam, bis rationis inops.*
*Aut lenta articulos nodet pituita tumentes,*
*Corpusque, ut truncus, non moueatur iners.*
*En ferme exhauſto minuuntur fomite uires,*
*Atque aliquid noſtri quaelibet hora metit.*
*Deficio ſenſim, conſumpto ut lychnus oliuo,*
*Qui dubia, minimo tempore, luce caret.*

*Hora*

*Hora ſuprema fores uicinae nuncia Mortis*
*Pulſat: & exſpectat cymba Charontis onus.*
*Fruſtra: namque anima euolitans eludet inanem,*
*Ac petet aethereas libera facta plagas.*
*Quorſum haec? ut tu, cui uernanti in flore iuuenta*
*Corporis & uis eſt, ingenijq. uigor,*
*Impoſito me faſce leues, oneriq. moleſto*
*Supponas humeros, ſuſtineasq. domum.*
*Quae me, utinam exſtincto; in te reclinata recumbat,*
*Altius & ſurgat robore fulta tuo.*
*Hanc multo certe ſtudio te eduximus in ſpem,*
*Vt columen fieres, poſt mea fata, domus.*
*Iam ſatis eſt luſtrata tibi Saturnia tellus,*
*Iamq. nihil toto te latet in Latio.*
*Quare age, rumpe moras, Itala religione relicta,*
*Huc ades, & patrio te modo redde ſolo.*
*Redde uicem meritis, O Nate, piumq. laborem*
*Perfer; & Anchiſae ſuſcipe membra tui.*
*Sic pius Aeneas, confectum aetate parentem*
*Dum ſubijt humeris, ſtruxit ad aſtra uiam.*

# NICOLAI AVDEBERTI

## in longe obſeruandi Parentis

# VENETIAS

## Carmen.

*DVm ſublime tuum Vates diuine Poema,*
*Quo Venetam ſummis exornas laudibus vrbem,*
*Magnificosq. Patres ſuper ardua ſidera tollis,*
*Perpendo; tacitusq. artem per ſingula uoluo:*

*Princi-*

*Principium tanti, medium, finemq. laboris,*
*Conſtantemq. ſuo ſibi molem pondere miror.*
*Floribus e multis quo primum ornabo corollam?*
*Quem deinde intexam? quo ſurget ſumma coronis?*
*Somnia docta, uigil quae uix excogitet alter,*
*Veraq. fatidicae noſco praeſagia Muſae.*
*Quid, quod ſummorum retegis ſecreta Deorum*
*Conſilia, & fato ſtabili uentura reuoluis,*
*Perpetuamq. Ducum ſeriem, Venetumq. ſuperbas*
*Nobilium ſtirpes genus alto a ſanguine Diuum?*
*Inflatum buccas uideor Tritona uidere*
*Atque audire tubae ſonitum, quo caerula complet,*
*Aequoreosq. Deos ciet, & Nereidas omnes*
*Pube tenus pelago exſtantes, formamq. colentes*
*Comentesq. comas ſpeculo reddente figuram.*
*Dulcis aquae populos, & amari monſtra profundi,*
*Hadriacos propero fluctus tranſmittere curſu;*
*Omnigenum & ſtudia, & mores, geniumq. natantũ,*
*Quin & amicitias, odiumque, ac proelia diſco,*
*Et pugnae uarijs occultas frudibus artes.*
*Diſco benignorum fundatam numine Diuum*
*Propitio; poſitamq. aſtris felicibus vrbem.*
*Omniaq. inuenio rebus concordia uerba,*
*Et numeros numeris perfectos omnibus omnes,*
*Ore,*

Ore, ſono, atque habitu referentes cuncta decenti.
Si mora tarda nocet, rapido properat pede verſus,
Praepetibusque, uelut Iouis armiger, utitur alis.
Si quando nautae conſidunt ordine tranſtris
Aequora uerrentes; uideas caneſcere fluctus
Agmine remorum celeri, nauemq. uolare
Ocius impulſa neruo ſtridente ſagitta.
Hinc freta uerſa fremũt, & fracta remurmurat vnda.
Aut ubi concluſum trunco prorumpit aheno
Terrificum flumen, citius Iouis igne triſulco
Fertur: & horribili caelum tonat omne fragore.
Verba ruunt etiam quando ruit Oceano nox,
Vel quum praecipitans caput occulit auricomum Sol,
Et veſpertino feſſos lauit aequore currus.
At, cum res ingens agitur conamine magno,
Ipſa etiam ſegni incedunt tibi carmina paſſu,
Siue noua puppes tranſſcendunt arte cacumen
Oppoſiti montis, mare qui diſcludit ab amne:
Interdum lento molimine ſubſidentes
Erepunt per humum uix ui uolente cylindro:
Languida cum rebus pariter tum uerba laborant.
Seu Chalybem nudi exercent Cyclopes in antro,
Cyclopes, qui membra gerunt caelo apta ferendo,
Pondera ui tollunt immanibus aequa lacertis,

In

*In numerum alterno candens ubi uulnere ferrum*
*Contundunt; uerſantq. tenaci forpice maſſam.*
*Illa gemit, contuſa ſimul, ſimul ingemit incus*
*Saepius: hinc crebris plangoribus aſſonat aether,*
*Caelumq. obtegitur multa rutilante fauilla.*
*Cum nimias anguſta iuuant res nomina, cumq.*
*Immenſa enormes delectant, (namque puſillos*
*Parua decent nanos: ingentia quaeque Gigantes*
*Vaſtos; & uaſta ſurgentes mole Coloſſos)*
*Infima deprimis; & ſublimia tollis in altum:*
*Nunc humilis repis; nunc uertice tangis Olympum;*
*Nũc mediũ inter utrumq. tenens extrema relinquis:*
*Mox tibi laeta fluunt hilari quoque carmina lapſu,*
*Sicubi laetitiae Bacchus dator impleat ora.*
*Deniq. ſic uarias habitumque, ſonumque, gradumq.*
*Omnes te in facies uertens, ut Prothea uincas.*
*Vulcani ſi forte acies immane furentis*
*Ingruere in Nauale timetur: protinus ecce*
*Iam uicina oculis flagrare incendia cernas,*
*Summaq. tecta arcis flamma crepitante cremari.*
*Sic, ut ſint mihi uiſa geri, non carmine pangi*
*Manſura aeternis mandas quaecumque libellis.*
*Ecce natatorum ſub aqua certamina ponis*
*Ante oculos, quae non paruo cum murmure miſcent,*

*In mare demiſſam ob gemmam quae diuidit aurum:*
*Tempore, quo Doris ſponſo Duce ducitur uxor,*
*Et latet occultum iunctis ſub lintribus aequor.*
*Quin ueros animas ſpiranti in imagine uultus*
*Heroumque, Ducumque, quibus uel cedat Apelles,*
*Cuncta ſuis mira depicta coloribus arte*
*Exprimis, & uitam, caſſis quoque lumine, reddis.*
*Quattuor egregios memorē, quos ſculpis ad unguē,*
*Quadrupedes; queis das motūque, ignēque, furorēque,*
*Et quorum hinnitus tum paene audimus acutos,*
*Cum placidae ſtrati ceciderunt aequoris aurae?*
*Scilicet in cunctis nihil eſt, uel iudice Momo,*
*Quod rabidos timeat dentes liuoris iniqui.*
*O felix anima, & meliori fuſa metallo?*
*Spirantes uiuo ſenſus dum incidis in aere,*
*Perpetuo uiuax incideris altius aeuo.*
*Quid tantae admiranda vrbis fundamina dicam,*
*Quid ue ſitum in medio poſitum diuinitus aeſtu*
*Aequoris, atque inſtar cymbae fluuitantis in alto?*
*Moeniaque, & portas noctesque, diesq. patentes;*
*Prorſus inacceſſas tamen, atque ſine indice clauſas.*
*An referam tot ponticulos, totq. undique moles*
*Aggeribus cinctas, pictos tot ubique phaſelos,*
*Templa, aedes, plateas, aurata palatia, turrim*

*Eductam*

*Eductam caelo, & caelatas arte columnas,*
*Theſaurumq. omnem, ſanctiq. ſacraria fani?*
*An ſtatuam auratam, clari Ducis ornamentum?*
*Indomitum furit acer equus, curſumq. minatur;*
*Et rapiat, preſſis niſi* COLLIO *ſiſtat habenis.*
*An Conſcriptorum conuiuia ſobria Patrum,*
*Mimosque, & laetis proſcenia plena cachinnis?*
*Naualis celebrem miracula tanta ſuperbi,*
*Atque imis incluſa adytis arcana recludam?*
*Omne quoque armorum genus, artificumq. labores*
*Infinita ſimul belli tormenta cruenti?*
*Quinetiam rerum prudens abſtruſa ſagaci*
*Indagas animo naturae arcana potentis,*
*Et cauſſas aperis multumque, diuq. latentes*
*Fulminis humani, tonitrusq. micantis Olympi.*
*Ilicet accenſa tormentum fulgurat eſca*
*Pulueris igniflui, totum qui incendit aceruum.*
*Namque uno ſubitum momento uerſus in ignem*
*Creſcit in immenſum puluis, neque ſe capit intus;*
*Sed uelut indignans anguſto carcere claudi,*
*Efferus eluctatur iter, fortisq. uiam ui*
*Inuenit: & ruptis (preſſas quaſi laxet habenas)*
*Obijcibus, ſpatium liber ſe effundit in aequum,*
*Immani incluſam propulſans impete molem.*

*It murmur caelo, totusq. remugit Olympus.*
*Nec quidquam obſtiterit murorum obiecta corona,*
*Inuia quin tanto ſint peruia cuncta furori,*
*Et pateant trepidae diſiectis moenibus urbes.*
*Quod ſupereſt, o quã clare, & breuitate Lacaena,*
*Iura, magiſtratus, urnas, globulosq. recenſes,*
*Electosq. Duces, electaq. munia ſorte?*
*Singula quae tibi ſunt multo condita lepore:*
*Daedalaeis quamquam perplexa ambagibus, omnes*
*Dicendi eriperent Veneres; tibi uicta labore*
*Peruigili; ſperare nefas maiora, uel ultra.*
*O Venerãde Parens, magni mihi numinis inſtar,*
*Vt te ſuſpicio, ſimul & tua uerba, tuumq.*
*Ingenium, ſtupeo? admirans & mentis acumen,*
*Atque catenato uariarum, ut in orbe, reuinctam*
*Diſciplinarum ſeriem qua carmina fulcis,*
*Nil mortale ſonans, qua tu ſublimis ad aſtra*
*Tolleris; & terras aeterno nomine comples.*
*Sit mihi fas tua caſtra, Pater, tua te duce ſigna,*
*Et tua ſancta ſequi ad ſacrum ueſtigia montem,*
*Fontisq. Aonij ſimul ora rigare liquore,*
*Et tecum amplecti dulces ante omnia Muſas.*
*Lectarum primos uocum decerpis honores,*
*Congrua cuique rei ſeruire uocabula cogens.*

*Quid-*

Quidquid in Aureolis caelas, pingis ue libellis,
Sedula Caſtalio conſpergit nectare Muſa,
Verbaq. Mopſopio contingit ſingula melle.
Me niſi fallit amor, niſi me reuerentia caecat,
Et pietas; patria quam tu pietate mereris:
Si quid uenturi fas praeſentiſcere; ſed fas;
Hoc opus aeternum toto celebrabitur Orbe,
Et tua cum Veneta ſuccedet gloria caelo.

093

Aldine
583
A 899a